MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80170-10

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

TITLE: HAJDUDOROG, HUNGARY

PLACE: NYIEREGYHAZA

DATE: 1918

Master Negative #

91-80170-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

935.4
H125

Hajdudorog, Hungary (Diocese, Catholic Byzantine)
Schematismus venerabilis Cleri Diocesis Graeci ritus Catholici Hajdudorogensis ad A. D. 1918. Nyiregyháza, Jóba E., 1918.
238 p.

Title-page wanting; title from Petrik, G. Bibliogr. Hung.
Pages 139-142 supplied in photocopy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8.9.91 INITIALS Jeannine
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

THE LIBRARIES

COLUMBIA UNIVERSITY

33.-34. old.



SUMMUS PONTIFEX:

SUA SANCTITAS

BENEDICTUS XV.

JESU CHRISTI VICARIUS,

JACOBUS DELLA CHIESA.

NATUS IN GENUA, DIE 21. NOVEMBRIS 1854., ORDINATUS IN PRESBYTERUM DIE 21. SEPTEMBRIS 1878., EPISCOPUS CONSECRATUS 22-A DECEMBRIS 1907, CARDINALIS CREATUS DIE 25. MAII 1914., IN SUCCESSOREM 259-UM B. APOSTOLI PETRI ELECTUS DIE 4. SEPTEMBRIS 1914. ET DIE 6. SEPTEMBRIS 1914. CORONATUS.

CATHOLICAM ECCLESIAM FELICITER GUBERNAT.

935.4
H125

SUPREMUS PATRONUS:

SUA CAES. ET APOSTOLICA REGIA MAIESTAS

CAROLUS IV.

DEI GRATIA

IMPERATOR AUSTRIAE ETC.

ET

HUNGARIAE REX APOSTOLICUS.

GLORIOSE REGNAT

A DIE 21. NOVEMBRIS A. 1916.

CORONATUS BUDAPESTINI
DIE 30. DECEMB. 1916.

Prof. Loy FEB 1 1960 RS

METROPOLITA:

EMINENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

DR. JOANNES CSERNOCH

S. R. E. TIT. S. EUSEBII DE URBE PRESBYTER CARDINALIS,

DEI MISERICORDIA ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS, INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCEPS PRIMAS, S. SEDIS APOSTOLICAE LEGATUS NATUS, SUMMUS ET SECRETARIUS CANCELLARIUS, S. C. ET R. A. MAIESTATIS ACTUALIS INTIMUS CONSILIARIUS, INS. ORD. S. STEPHANI R. A. PRAELATUS AC EQUES, ECCLESIASTICAE COMMISSIONIS PRAESES, INCLYTI COMIT. STRIGONIENSIS PERPETUUS AC SUPREMUS COMES, SS. THEOLOGIAE DOCTOR ETC. ETC.

NUNTIUS APOSTOLICUS
APUD SACRAM CAESAREAM ET APOSTOLICAM REGIAM MAIESTATEM:

EXCELLENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

THEODORUS E COMITIBUS VALFRÉ DI BONZO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS TRAPEZUNTINUS ETC. ETC.

ORDINARIUS:

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

STEPHANUS MIKLÓSY

MISERICORDIA DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS HAJDUDOROGENSIS GRAECI RITUS CATHOLICORUM, INS. ORDINIS FRANCISCI JOSEPHI COMMENDATOR·

NATUS DIE 22. AUGUSTI 1857. IN RÁKÓCZ, IN COMIT. ZEMPLÉN, PRESBYTER ORDINATUS 17. APRILIS 1884., PRIMUS EPISCOPUS DIOECESANUS DIE 21. APRILIS A. 1913. CLEMENTISSIME DENOMINATUS, DIE 23. JUNII 1913. PRAECONISATUS ET 5. OCTOBRIS 1913. IN HAJDUDOROG EPISCOPUS CONSECRATUS SIMULQUE INTHRONISATUS.
RESIDET IN NYIREGYHÁZA.

BREVIS NOTITIA HISTORICA
DIOECESIS HAJDUDOROGENSIS.

Incolae Hungariae graeci ritus christiani ad XVII-i saeculi medium usque schismati erant addicti. In partibus Septemtrionem inter et Orientem regni degentes anno 1648., Transsilvani vero a. 1700. unionem cum S. Sede Romana iniverunt, sed in schismate perseverantium pars et hodie adhuc potior est habenda universo unitorum numero. Ex unitis ordinatam hierarchiam primitus Transsilvani sunt consecuti, in quorum gratiam Carolus III., Rex Hungariae a. 1715. Episcopatum Fogarasiensem fundaverat, quod et R. Pontifex Innocentius XIII. a. 1721. canonisavit. Erectio huius Episcopatus secundum verba canonisationis urgebatur eo, »quod gratia benedicente Domini nonnulla milia Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque, qui graecum ritum sequebantur, ad Sanctae Romanae Ecclesiae gremium advolavissent.« (Nicolaus Nilles, Symbolae. Vol. I. pag. 432.) Bulla Pontificia, citato correspondenter edicto, Episcopo Fogarasiensi consequenter iteratimque nomen »Eppus graeci ritus Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum« imponit.

Recensens vero fideles, praeter quattuor nominatas nationes, Bulla his verbis »aliorumque« mentionem facit etiam gentium aliarum, quae tunc in Transsilvaniae finibus graeco obtemperavere ritui et unionem acceptaverant. Iam vero vis enuntiationis huius nequaquam ad Saxones, qui lingua utebantur germanica et erant fautores Augustanae confessionis, relata esse potuerat. Certum ergo est, Bullam occulte quidem, absque omni dubio tamen graeci ritus Hungarorum et Siculorum Transsilvaniae meminisse.

Quinquaginta annis post, — erectionem Episcopatus Fo-

garasiensis excepit canonisatio Episcopatus Munkácsensis. Bulla canonisationis huius Eppatus a Pontifice Clemente XIV. a. 1771. edita iurisdictionem novi instituti hierarchici stabilivit: »in clerum et populum Ruthenorum *graeci ritus* uniti, aliosque, qui eosdem ritus et unionem sequuntur et degunt tam in civitate Munkácsensi, quam in aliis praedictae Dioecesis partibus.« (Ioannicius Basilovits, Brevis Notitia Fundationis Theodori Koriatovich, Cassoviae, 1804. Pars 4. Tomus II. pag. 201.) Itaque nec Episcopatus Munkácsensis exclusive pro Ruthenis est erectus, sed pro omnibus illis, qui in Eparchiae territorio graecum sequebantur ritum et unionem cum Sede Romana susceperant. In hocce vero territorio haud mediocri cum numero etiam Valachi Hungarique inveniebantur. Milites a Principe Stephano Bocskay a. 1605. in oppidis Hajdukonensibus colonisati maxima ex parte graeci ritus erant et hungari ac hi omnes Dioecesi Munkácsensi sunt adscripti. (Emlékkönyv a gör. kath. magyarok 1900. évi római zarándoklatáról. Budapest, 1901., pag. 74.) Protocolla porro, quae in Máriapócs initio saeculi XVIII-i a duobus Canonicis Agriensibus de miraculosa S. Imaginis BMV. Ecclesiae Monasterialis lacrimatione sunt confecta, probant delegatos in scrutinio cum fidelibus gr. catholicis Máriapócsensibus horumque advicinatis, unice hungarica usos esse lingua. (Szabó Jenő: A görög katholikus magyarság utolsó kálváriautja. Budapest, 1913., pag. 368.) Ex dictis patet istos iam tunc temporis quoque fuisse Hungaros.

Litterae ergo fundationales Episcopatuum Fogarasiensis Munkácsensisque demonstrant, iam tunc, quando Sancta Sedes et Rex Hungariae Apostolicus illos fundaverint, conditores nec minime intendisse, quominus in gratiam nationum valachicae et ruthenicae novam quandam constitutionem ecclesiasticam darent. E contrario universos regni graeco-catholicos populos illius temporis, absque omni respectu ad diversitatem linguarum, iurisdictioni novorum Episcopatuum subiecerunt profecto ea ducti intentione, ut fideles suum cuique reddendo in caritate vivant.

Ast idealis haec et omnem nationalisticam characterem excludens dispositio decursu temporum paene totaliter est sublata. Memoratae duae Dioeceses namque, prouti et novi Episcopatus ex harum dissecatione erecti, paulatim nationalisticis Valachorum et Ruthenorum studiis propugnacula evasere. Stigma nationalitatis Dioecesibus graeco-catholicis regni Hungariae inuri — quamvis fortuito — promovebatur eo, quod digressive a Bullis fundationalibus ipsa S. Sedes Romana Dioecesium Munkácsensis, postea vero ac de hac excissae Eperjesiensis Antistites nomine »Episcopus graeci ritus Ruthenorum«, Fogarasiensis vero et ex hac serius excerptarum Dioecesium Episcopos nomine »Episcopus graeci ritus Rumenorum« in officiosis quoque documentis appellaverit. Nationalisticum nisum quasi compleverat a. 1853. erectio Archiepiscopatus Albaiuliensis-Fogarasiensis, quum S. Sedes Romana etiam ultiman exiguam Valachorum partem Dioecesi adhuc Munkácsensi incorporatam hinc eximuerit, pro unitis Valachis Metropoliam a Primatia Strigoniensi independentem creaverit hancque iam nomine »Provincia graeco-catholica unita linguae rumenicae« canonisaverit. (N. Nilles, Symbolae, Vol. II., pag. 683.) Exinde invaluit usus, quod Sedes Apostolica in decretis quoque officiosis novissime iam »ritum ruthenum«, imo et »ritum rumenum« agnosceret, quamvis antea ritum populorum horum tantum nomine »*ritus graecus*« consueverit assignare.

Transitum a ritu graeco ad ruthenum rumenumque, in quantum coniicere licet, etiam res politicae promoverunt. Tendentias nationalisticas eventus anni 1848. horumque consecutiones excitavere. Ad debellandum enim gentis hungaricae certamen pro defensione libertatis susceptum inimici gentis hungaricae nationalitates in regno hucusque vitam pacificam viventes ad actionem provocarunt. Cives Hungari secum ipsis discordes intestinis laborabant odiis. Cumque bellum hoc defensivum auxiliante Russia sanguine suffocatum esset, nationalitates ad seditionem incitatae exspectabant, rogabant, expromi studebant et reapse acceperunt mercedes actionum

suarum praeprimis in foro ecclesiastico. Graeci schismatici Rumeni et Serviani seorsim, hi et illi extensis cum iuribus autonomicis praeditum independentem Archiepiscopatum obtinuerunt. (C. l. IX. a. 1868.) Pro graeco-catholicis Valachis vero Gubernium Wiennense immediate S. Romanae Sedi subiectam Provinciam Albaiuliensem-Fogarasiensem constituit. (C. l. XXXIX. a. 1868.) Etiam in tractibus ruthenicis putabant quidam illas vias persequi, per quas ad successus Valachorum et Servianorum similes pervenire possent, sed exspectationibus praecipue ea de causa destituti sunt, quod Dioeceses Munkácsensem Eperjesiensemque maximo cum numero graeco-catholici Hungari incolerent et in animis Sacerdotum harum Dioecesium hungarica cultura imbutorum conatus politici Adolphi Dobránszky nullam causaverint amicam resonantiam.

Omnes hae simul sumptae circumstantiae tamen talem situationem procreaverant, ut instituta gr. cath. ecclesiastica annis 50-mis et 60-mis saeculi XIX. pro tam secluso territorio haberentur, in quo alia lingua aliaque cultura, quam nationalistica, omni prorsus iure existentiae privaretur et ubi quisque pro Rutheno vel Valacho habendus, at se Hungarum scire illicitum sit.

Quae aggressiva nationalisticarum velleitatum in publicum prolatio excitavit illam graeco-catholicorum Hungarorum concertationem pro existentia defensivam, quae in exitu suo erectionem Dioecesis Hajdudorogensis produxerat.

Graeco-catholici natione ac lingua Hungari effectionem in foro ecclesiastico iurium suorum iam a temporibus Reginae Mariae Theresiae moliti sunt. Andreas Bacsinszky, secundus Ordinarius Munkácsensis, prius erat Archidiaconus Szabolcsensis et Parochus Hajdudorogensis. Ille ipse versiones carminum ecclesiasticorum in lingua hungarica confecit fidelibus suis Hungaris illasque praecipue ad festa maiora in usum quoque perduxit. Liturgiae S. Ioannis Chrysostomi prima et completa versio hungarica pariter nomini Andreae Bacsinszky venit adscribenda, nam illam Georgius Kritsfalussy, Professor

linguae hungaricae in Gymnasio Ungvarensi a. 1795. conficiens, doni onomastici instar Praesuli tradidit. Versio haec non erat quidem typis commissa, in manuscripto tamen inter peripheriarum hungaricarum Clerum late divulgata est atque in liturgia vetero-slavica, praecipue in partibus ad cantum fidelium spectantibus usitata. (Emlékkönyv. Pag. 79.) Precum et canticorum liturgicorum versioni hungaricae, via ab Andrea Bacsinszky inchoata, progressive initio saec. XVIII. operam impenderunt Stephanus Lupes Curatus Timárensis et Michaël Krucsay prius Parochus in Gálszécs, postea in Sátoraljaujhely, per annos 1804—1814. vero Canonicus Dioecesis Munkácsensis. Secundo saec. XVIII-i dimidio ad versiones operam contulerunt Antonius Csopey Canonicus Doec. Munkácsensis, Ioannes Vályi Curatus Karászensis, Iosephus Lukács Curatus in Abaujszántó ac Alexander Vaskovics Curatus Nyirtassensis. Omnes hae versiones pariter tantum in manuscriptis copiisque manualibus remanserunt, de manu in manum inter Curatos Cantoresque datae. Demptis minoribus ceteroquin plerumque anonyme lingua hungarica vulgatis precum canticorumque libris, primum in lingua hungarica graeci ritus precum et cantilenarum librum liturgico usui accomodatum Ignatius Roskovics, Parochus prius Hajdúböszörményensis, dein Nyirpilisensis, postea Canonicus et Praepositus Maior Dioec. Munkácsensis a. 1868. edidit. (A gör. kath. magyarság utolsó kálváriautja, Pag. 435, 436.)

In gyro cleri populique gr. cath. videlicet plerique eam in opinionem discessere, proprietatem esse ac principium graeci ritus, quod in cultu divino semper lingua fidelium vulgaris, sit illa obsoleta vel viva, adhibeatur, ut fideles illam intelligere queant. Hanc sententiam propagavit Josephus Papp-Szilágyi Episcopus gr. cath. Magno-Varadinensis quoque in libro a. 1862. edito, qui inscribitur: »Enchiridion Iuris Ecclesiae Orientalis,« cum diceret: »Proprium est Eccae Orientalis, ut in Sacris lingua nationali utatur. Sacra Sedes Apostolica, quae de cetero gravibus e rationibus linguae popularis usum in

mysteriorum celebratione eo ipso, quod mysteria sunt, non admittit, Orientalem Ecclesiam in suo relate ad propriam linguam ritualem permittit.« (Enchiridon. — Magno-Varadini, 1862., pag. 366. De lingua liturgica.)

Communis huius sententiae impulsu numerosissima ac procerrima gr. cath. Hungarorum Ecclesia, Hajdudorogensis quippe, in interesse liturgiae hungaricae et de erigendo gr. cath. Hungarorum Episcopatu in congregatione 2-a Maii a. 1863. habita litteras substravit deprecatorias Basilio Popovics Episcopo Munkácsensi, Suae Caesareae et Apostolicae Regiae Maiestati Francisco Iosepho I-o, qua supremo Ecclesiarum cath. Hungariae Patrono, porro Ioanni Card. Scitovszky Archiepiscopo Strigoniensi ac Principi-Primati, Supremo Aulae Regiae Hungaricae Cancellario, tandem ad Regni Comitia, — ast ad has litteras petitionales ne ullum quidem advenit responsum.

Ingressum iter nihilominus unum effectum est adeptum, etsi haud desideratum. Ille quidem Episcopus Magno-Varadinensis Iosephus Papp-Szilágyi, qui in opere supracitato Ecclesiae Orientalis proprietatem, secundum quam in liturgia lingua utitur nationali, edixerat, cultum divinum in Ecclesia parochiali Makóensi antiquitus lingua hungarica exercitatum interdixit. Enatum inde scandalum prodiit in vulgus, ephemeridibus ad recriminationes ansam dedit, officiosae inquisitioni est demandatum et in Episcopum publicum evocavit odium, — sed simul gr. cath. Hungaros in stabilem coagmentavit consociationem. (Farkas Lajos: Egy nemzeti küzdelem története. Pag. 43.)

Quo ex interdicto enata est die 16-a Apr. a. 1868. Commissio Exsecutiva Stabilis gr. cath. Hungarorum Hajdudorogensis. Huic organismo vitam dedit imprimis Succenturio superior oppidi Hajdudorog, Ludovicus Farkas, qui et iuratus Advocatus erat. Labor eius singulari amore plenus, indefessus animi ardor, longe lateque se expansum litterarum commercium effecit, ut communitates ecclesiasticae gr. cath. hungaricae in Civitate Hajdudorog suprafata die per deputatos in congressum convenerint. Huic congressui participavere, aut scriptotenus adiunxerunt sese Ecclesiae sequentes:

E Dioecesi Munkácsensi: Ajak, Bácsaranyos, Biri, Bököny, Buj, Dámócz, Debreczen, Fábiánháza, Hajdúböszörmény, Hajdudorog, Hodász, Hugyaj, Jánk, Kállósemjén, Kántorjánosi, Kisdobra, Kisvárda, Kótaj, Kökényesd, Levelek, Leleszpólyán, Máriapócs, Mezőzombor, Nagykálló, Nyirgebe, Nyirgelse, Nyirgyulaj, Nyirkarász, Nyirparasznya, Nyirpazony, Nyirpilis, Nyirtass, Ópályi, Sárközujlak, Szakoly, Szárazberek, Szatmár-Németi, Szerencs, Tiszabüd, Tokaj, Tolcsva, Tornyospálcza, Ujfehértó, Visk. Universim 45 communitates ecclesiasticae.

2. E Dioecesi Eperjesiensi: Abaujszántó, Falucska, Görömböly, Kassa, Pere. Universim 5 communitates ecclesiasticae.

3. E Dioecesi Magno-Varadinensi: Érkenéz, Kokad, Krasznaszentmiklós, Makó, Nagykároly, Nagyléta, Porcsalma. Universim 7 communitates ecclesiasticae.

4. E Dioecesi Szamosujvárensi: Szatmár.

In congressu participaverunt ergo universim 58 ecclesiasticae communitates et uno omnium cum consensu decreverunt: sese in emolumentum ducentenis milibus fidelibus graeco-catholicis Hungaris erectionem separati Episcopatus hungarici et versionem in linguam hungaricam librorum liturgicorum ac, si revera necessarium esset, loco competenti impetrationem linguae hungaricae in gr. rit. cath. Ecclesia pro lingua liturgica sanctiatione, Maiestatem Suam Regem Ap., Principem Primatem Strigoniensem, Comitia regni legislativa, omnesque iurisdictiones comitatenses supplicibus verbis esse oraturos. Ne vero petitio haec quacumque demum de causa, ad antecedentium modum seponatur, congressus cum sede Hajdudorog, praesidente Ludovico Farkas Succenturione superiori Exsecutivam Commissionem Stabilem constituit, cuius membra electa sequentes erant: Georgius Szabó Archidiaconus Szabolcsensis et Parochus Hajdudorogensis; Stephanus Farkas incola Hajdudorogensis, Possessor agrorum et iuratus Advocatus; Igna-

tius Roskovics Parochus Nyirpilisensis; Alexander Farkas incola Hajdudorogensis; Ioannes Ketskés iur. Advocatus, incola Debreczinensis; Antonius Jámbor Parochus Bökönyensis; Iulius Orosz Curatus Hajduböszörményensis; Paulus Molnár incola Nagykállóensis, iuratus Advocatus; Stephanus Romzsa Cooperator Hajdudorogensis; Paulus Görög Cooperator Hajdudorogensis; Michaël Lázár Curatus Pazonyensis; Ioannes Kovács Iudex Tabulae Regiae, incola Hajdudorogensis; Georgius Fejér incola Hajdudorogensis, Subnotarius Civitatis; Franciscus Béres Curatus Ecclesiae Nagykállóensis, Protonotarius Comitatus Csanád; Emericus Fejérváry incola Makóensis; Emánuel Hajdu incola Nagykárolyensis, iuratus Advocatus; Ioannes Iványi Curatus Tornyospálcaënsis; Stephanus Fekete Curatus Kállósemjénensis; Demetrius Székely incola Hajduböszörményensis, Senator Civitatis; Antonius Mertse incola Debreczinensis; Franciscus Farkas Curatus Fábiánházaënsis; Alexander Kabay incola Nagylétaënsis, Curator Ecclesiae; Ioannes Novák incola Ujfehértóensis, Curator Ecclesiae; Andreas Tivadar Curatus Bácsaranyosensis; Alexius Benyitzky Curatus Krasznaszentmiklósensis; Carolus Mészáros incola Ungvárensis, iuratus Advocatus; et Ladislaus Mezősy incola Tolcsvaënsis, Possessor agrorum, ita ut inter membra stabilis huius commissionis omni tempore etiam membra ordinaria senatus gr. cath. Ecclesiae Hajdudorogensis accipienda sint. (Egy nemzeti küzdelem története. 47. 1.) Taliter composita stabilis haec commissio exsecutiva non commorabatur munus multi laboris aggredi. Decreta congressus cum accomodatis propositionibus deputationaliter Budapestini Gubernio regni Hungariae, Comitiis regni, Strigonii vero Cardinali Principi-Primati exhibita sunt. Delegati ubique locorum horum perhumaniter sunt excepti ac meritum petitionis omni in foro agnitum est quidem, sed de die in diem magis magisque prominuere illa iuris ecclesiastici postulata, quae impedimento erant, quominus perfectuata sit supraallata exspectatio gr. cath. Hungarorum.

De gressibus hac in re positis Ludovicus Farkas Praeses

in conventu Commissionis Exsecutivae die 15. Mart a. 1871. habito reddidit rationes. Labor tamen assiduitate plenus anno sulommodo 1873. est effectum sortitus, quando nimirum Sua Maiestas Ap. Regia Franciscus Josephus I. suprema cum resolutione die 17. Sept. eiusdem anni pro graeco-catholicis fidelibus Dioecesis Munkácsensis Hungaris in Civitate Hajdudorog Vicariatum Foraneum Episcopalem erigi curavisset. Pro primo Vicario Foraneo item elapsis demum duobus annis, a. 1875. Ioannes Danilovics Canonicus Cancellarius Eccl. Cathedr. Munkácsensis denominatus est. Ad huius beneficii dotationem, tria milia scilicet florenorum e Fundo Religionis collata oppidum Hajdudorog 64 iugera agrorum est impertitum ac in medio oppidi aptum spatiosumque fundum intravillanum emit cum domo pretio 8000 florenorum.

Ex institutione Vicariatus Commissio Exsecutiva summa laetitia est quidem affecta, sed in effectuandis decretis Congressus Regnicolaris nec in posterum operae pepercit. Rei agitatae studio singulos in dies detinebatur. E re illorum erat oblata se opportuna occasione ullucusque uti, donec excitator praesesque commissionis Ludovicus Farkas in vivis esset.

Primi Vicarii Episcopalis Foranei momentuosissimum factum erat, quod illius praesidio delegati Assessores consistoriorum Dioecesium Munkácsensis ac Eperjesiensis in oppido Hajdudorog a. 1879. versione partium liturgicarum perquam necessariarum in linguam hungaricam occupati, textus iamdudum usuatos emendarint illosque pro typis impressione praeparaverint. Membra commissionis huius erant: Ioanne Danilovics Canonico ac Vicario praesidente, Michaël Kotradó Canonicus Eccl. Cathedr. Eperjesiensis, Ignatius Roskovics Canoniicus Eccl. Cathedr. Munkácsensis, Antonius Jámbor Canonicus tit. Eccl. Cathedr. Munkácsensis, Ioannes Hrabár Parochus Magyarkomjátensis, Ioannes Turjay Professor theologiae, Emanuel Fejér Parochus Hajdudorogensis, Bartholomeus Sass Catecheta in Gymnasio Eperjesiensi, Eugenius Fenczik Pa-

rochus Duszinaënsis, Iulius Orosz Parochus Hajdúböszörményensis et Paulus Görög Parochus Bökönyensis.

Opera commissionis sub titulis: »Aranyszáju Szent János Atya Szent és Isteni Liturgiája, kiegészitve több oltári imával és egyházi énekkel.« Debreczini, 1882. »Görög Katholikus Egyházi Szerkönyv.« Debreczini, 1883. typis mandatum et promulgatum. Posterius opus a Ioanne Danilovics, simul cum Emiliano Melles confectum: »Szent Nagy Vazul Atya Szent és Isteni Liturgiája.« in publicum prodiit Debreczini 1889. — Hanc seriem explevit versio a Ioanne Danilovics sub titulo »Görög Szertartásu Általános Egyházi Énekeskönyv.« confecta, Debreczini 1892. Etsi opera haec absque permissu superioritatis ecclesiasticae in vulgus prodivissent, generatim tamen pro editionibus officiosis habebantur.

Episcopus Munkácsensis Basilius Popovics, prouti et successores eius Stephanus Pankovics, Ioannes Pásztélyi-Kovács, quemadmodum et in Sedem Episcopalem Eperjesiensem collocatus Nicolaus Tóth perspicuis e causis perbenevolam voluntatem tolerantiamque sunt contestati erga studia graeco-cath. Hungarorum, sed in authentisandas versiones manus inserere haud quiverant. Fora etenim ecclesiastica, quae a cultus divini hungarici in vitam gr. cath. ecclesiasticam inductione exclusivum suae nationalitatis dominatum pertimescebant, haud sunt cunctati nisum et agendi rationem fidelium Hung. usu iam excultam, ita, ac si haec protestantici characteris et tendentiae indicium prae se ferret, Sedi Romanae iterum saepiusque denuntiare. S. Sedes Apostolica acceptis ex relationibus Episcopos interessatarum Dioecesium nonnunquam interdictoriis quoque ordinationibus instrui curavit. Episcopi vero interdicta haec plerumque familiariter communicavere cum Sacerdotibus. Liturgia hungarica stricto sensu sumpta hac de causa nec evolvi potuerat, sed linguis vetero-slavica et rumena adiunctis, porroquoque maiorem maioremque nacta est efficaciam iuxta analogiam Ecclesiae lat. rit. Hungaricae, ubi penes linguam liturgicam latinam, lingua vernacula quoque in officiis divinis vulgo adhibitur.

Magno incremento erat cultui divino hungarico prolatio in publicum editionum supramemoratarum Hajdudorogensium. Auctae sunt hae a. 1882. cum libro evangeliorum et apostolorum pro diebus dominicis festivisque ab Emiliano Melles confecto. Idem mox cum lectionibus cultuum divinorum postmeridianorum et horarum a. 1902. iterum editum est. Cum libro precum canticorumque Ignatii Roskovics iam memorato libri precum ab Emiliano Melles sub titulis »A dicséret áldozata« et »Jertek imádjuk Krisztust« concinnati saepenumero editionem assecuti sunt.

Annis posterioribus a re liturgiae et Episcopatus hungarici avocavit animosque fere unice praeoccupavit ibidem subsecutus et ab anno 1886. per decem annos distractus, multas controversias molitus motus, electionis nempe Parochi loci.

Motus hi illisque annexi eventus ecclesiasticae disciplinae contrarii magno erant detrimento morali reputationi illae eximiae, quam civitas colluctationes priorum decenniorum liturgicas ducendo est adepta. In hisce electionibus populus non quaerebat, quis esset idoneus ad uberiorem principiorum proximis decenniis depositorum explanationem, sed commoda privata agitationesque Simoniacae intraverunt animos. Intelligentia vero, haud secus inter calamitates electionis, proprio cum magistratu ecclesiastico dissentiens, ad Ecclesiae oppositos, ad alienae religionis asseclas, ad protestantium castra se conferebat. Magistratus civitatis, exterorum ductus consiliis, naturaliter rem liturgiae et Episcopatus hungarici, characterem stricte ecclesiasticum prae se ferentem haud satis oculis intentis prosequi potuerat. Non est ergo mirum, quod partes tumultuosae breviter in certamen descenderint. Aggravata est conditio haec eo quoque, quod subsecuta anno 1895. Ioannis Danilovics morte, Vicariatus Foraneus per septem annos vacans sit permansus ad annum nimirum 1902, quado stallum

hoc Andreas *Lengyel* V. A. D. Parochus Nagykállóensis nactus est.

Regnum hungaricum a. 1896. celebravit anniversarium subsistentiae suae millesimum. Hanc occasionem censebat Commissio Exsecutiva Hajdudorogensis tempori aptam, postulata congressus a. 1868. habiti iterum resuscitare. Primo huius anni vere, ductore Paulo Farkas, Praeside commissionis, deputationem ex centum membris exstantem expediverat ad Episcopum Munkácsensem ac ad Principem-Primatem, sicuti et ad membra Gubernii hung. atque ad regni Comitiarum Praesidem denuo precantes urgentesque effectuationem tam sanctionis usus liturgici, quam et erectionis separati Episcopatus. Sperata fausta dispositio non est insecuta. E contrario Sedes Romana in ordinatione de 2-a Sept. 1896. celebrationem cultus divini hungarici stricte interdixerat. Interdictum hoc maioris erat momenti, quam similes dispositiones Sacrae Sedis prioribus annis iam in lucem prolatae. Cum supremo enim Suae Regiae Maiestatis indultu, in causa supramemorata, etiam ipsum Gubernium hungaricum praevenienter via diplomatica munus transactoris egit. Cum vero Sedes Sacra via Officii S. Congregationis ad competentes Episcopos decretum praescribuerit, illo ipso tempore via diplomatica et Gubernium regni certiorem fecit, se linguae hungaricae locum dare in cultu divino haud esse propensam.

Res propediem confecta fuit, cum Gubernium hung. nuntiationem S. Sedis recognoverit et L. Baro Desiderius Bánffy, tunc Praeses Ministerii in conventu ablegatorum Curiae die 5-a Sept. a. 1896. declaraverit: »In sinu Gubernii constitutum et decretum est ad assequendum propositum, quaestioni erectionis Episcopatus anteponendam esse diiudicationem linguae hungaricae quaestionis, quam haud impossibilem putat, imo e sua parte omnibus votis exspecptat.« In interesse separati Episcopatus gr. cath. hung. erectionis idem Gubernium finem imposuit inceptis studiis. Tali modo liturgiam hungaricam S.

Sedes Romana, Episcopatum hungaricum vero Gubernium hung. pro re impossibili declaravere et causa gr. cath. Hungarorum profecto in impervium angiportum delata est. (A gör. kath. magyarság utolsó kálvária-utja. Pag. 164—165.)

Quae cum ita fuerint, Episcopus Eperjesiensis Dr. Ioannes Vályi et Eppus Munkácsensis. Iulius Firczák effectuationi S. Sedis ordinationis resistere non poterant. Adversarii liturgiae hungarciae superiores sunt facti et praeceptum editum est usum idiomatis hungarici in cultu divino peragendo gradatim quidem, prorsus tamen esse intermittendum ac loco illius linguas vetero-slavicam et rumenicam in statum priorem exclusivumque esse collocandas.

In hoc cultus divini hungarici discrimine fideles provinciarum regni oculos fiduciamque ad communitatem ecclesiasticam gr. cath., quae tunc im Metropoli Budapest coepit organisari, coniecerunt. Sortis suae meliorationem sperabant exspectabantque, intelligentiam ibidem haud exiguo cum numero considentem nobilibusque gradibus constitutam se in bene ordinatam aciem esse collocaturam.

Probi moderatores communitatis ecclesiasticae gr. cath. Budapestinensis, huic exspectationi congrue, die 20-a Iunii a. 1898., praesidente *Eugenio Szabó* Membro Curiae Magnatum constituerunt cum sede Budapest Commissionem Regnicolarem Graeco-Catholicorum Hungarorum.

Scopus commissionis in programmate sub puncto primo sequenti modo definitur: »Propositum Commissionis Regnicolaris: conservare et confirmare usum linguae hungaricae in cultu divino graeco-catholico, eximere eandem ex hucadusque fere centum per annos durante statu tolerato et hoc fine intercedendum, ut ritus hungaricus legalem agnitionem ac adaequatas normas consequi valeat ubique locorum, ubi hoc numerus gr. cath. Hungarorum et emolumentum religionis expostularent, absque omni respectu, in cuiusnam Dioeceseos territorio vivant hi«. (Emlékkönyv, pag. 101.) Prouti hoc ex programmate patet, Commissionem Regnicolarem, consonanter co-

gnito Gubernii regni consilio, laborem non in erectionem novae Dioecesis impendisse, ast solum legitimationi cultus divini hungarici et liturgiae hungaricae studuisse.

Uti activitas Commissionis Exsecutivae Hajdudorogensis Stabilis et adepti successus prosperi primo illius Praesidi, Ludovico Farkas debent attribui tali modo et clari successus a Commissione Regnicolari Budapestinensi obtenti, Praesidem Eugenium Szabó, eiusque indefessum laborem, assiduitatem et paratum ad sacrificia ferenda animum laudant.

Commissio Regnicolaris ultimis anni 1898. diebus publicans programma suum, fideles gr. cath. Hungaros ad iungendam cum ipsis communionem provocavit. In his litteris invitatoriis iam edixit: »Ad assequendum finem nostrum necesse est nos Romam proficisci. In persona oportet nos obsequium reverentiale Solio Suae Sanctitatis contestari. Praesentibus nobis convenit exorare, ad adipiscendum agitationis et propositi nostri supremum eius patrocinium.« (Emlékkönyv, pag. 11.)

Proclamatio Commissionis Regnicolaris plenum successum est consecuta, in quantum programmati eius,

1. e Dioecesi Munkácsensi 77 Matres Eccl. cum 100300 animis,

2. e Dioecesi Eperjesiensi 26 Matres Eccl. cum 24141 animis,

3. e Dioecesi Magno-Varadinensi 6 Matres Eccl. cum 5275 animis,

4. e Dioecesi Szamosujvárensi 1 Mater Eccl. cum 1033 animis,

5. e Dioecesi Strigoniensi 1 Mater Eccl. cum 2752 animis,

6. e diversis regni partibus 576 animae. Universim 111 Matres Eccl. cum 134527 animis se adiunxere.

Peregrinationem Romanam Commissio Regnicolaris in appropinquantem annum 1900. iubilarem procrastinans et haec Budapestino die 4-a Martii iter ingrediens, die 6-a Martii Romam advenerat et diebus 7., 8., 9. mensis eiusdem ibidem

expletis, 10-a Martii domum reversa est. Numerus illorum, qui peregrinationis de facto fuerant participes, ad 461 excrevit. Ductu Dris Ioannis *Vályi* Eperjesiensis et Iulii *Firczák* Munkácsensis Episcoporum partem peregrinationis capessivere e Dioecesi Munkácsensi 46, e Dioecesi Eperjesiensi 21 viri ecclesiastici. Ex intelligentia saeculari praeside Eugenio *Szabó* peregrinationem susceperunt 79 viri et 17 herae. Peregrinantes Sua Sanctitas *Leo XIII.* in Capella supra navim Basilicae S. Petri sita »Aula della Beatificazioni« nuncupata die 9. Martii circa 12. horam meridianam benigne excepit. Commissio Regnicolaris folia, accessorias fidelium subscriptiones continentia in libro praeclare exornato coadunavit ac hunc una cum memorando, argumenta inductionem liturgiae hungaricae urgentia et comprobantia complectenti, mediante Doctore Ioanne Vályi Episcopo Eperjesiensi, occasione solemnis audientiae, concomitante sermone salutario Suae Sanctitati exhibuit. Dr. Ioannes Vályi Episcopus in sermone suo gratulatorio peregrinantium petitionem interpretatus est sequenti modo:

»Hac solemni occasione nos ad pedes Sanctitatis Vestrae profundissime provoluti non dubitamus libellum memorialem opera Commissionis Regnicolaris Hungaricae adornatam, in quo humillima petitio de usu linguae hungaricae apostolica auctoritate in sacra liturgia concedendo continetur, nomine praesentium peregrinorum et absentium, qui universim plus quam ducenta milia numerantur, graeci ritus Catholicorum Hungarorum Sanctitati Vestrae filiali homagio praesentare, atque eundem libellum ad altissimam Beati Petri Principis Apostolorum Cathedram deponendo, ardentissimis Sanctitatem Vestram precibus exorare, ut libelli huius rationum momenta benigne respicere, tot Christifidelium spiritualibus indigentiis paterne succurrere, iusta eorum vota et desideria clementissime exaudire, atque usum linguae hungaricae in cultu divino summa apostolica auctoritate adprobare et sanctificare velit«.

Programmati Commissionis Regnicolaris sequentes ecclesiae parochiales se adiunxere:

I. e Dioecesi Munkácsensi:

1. e Comitatu Szabolcs: Ajak, Bácsaranyos, Balsa, Biri, Bököny, Buj, Gelse, Gyulaj, Hugyaj, Kállósemjén, Karász, Kisléta, Kótaj, Levelek, Máriapócs, Nagykálló, Napkor, Nyiregyháza, Nyirbakta, Nyirlugos, Nyirmada, Nyirpilis, Oros, Óvencsellő, Pazony, Piricse, Tass, Timár, Tiszabüd, Tornyospálcza. 31.

2. E Comitatu Zemplén: Bodrogolaszi, Bodrogszerdahely, Dámócz, Kisdobra, Leleszpólyán, Mezőzombor, Sárospatak, Sátoraljaujhely, Szalók, Szerencs, Tokaj, Tolcsva, Zemplénagárd, Kistoronya, Szürnyeg. 15.

3. E Commitatu Hajdu: Hajduböszörmény, Hajdudorog. 2.

4. E Comitatu Szatmár: Derzs, Gebe, Fábiánháza, Hodász, Jánk, Nagydobos, Nagypeleske, Nyircsászári, Ópályi, Parasznya, Sárközujlak, Szárazberek, Szatmár-Németi. 14.

5. E Commitatu Ung: Csicser, Mátyócz, Palágy, Konczháza, Sislócz. 5.

6. E Comitatu Ugocsa: Bökény, Kökényesd, Tiszaujlak, Turterebes, Salánk, Forgolány, Gődényháza. 7.

7. E Comitatu Bereg: Beregszász, Balazsér, Nagybégány. 3.

II. E Dioecesi Eperjesiensi:

1. E Comitatu Abauj-Torna: Abaujszántó, Baskó, Boldogkőváralja, Csobád, Garadna, Homrogd, Kassa, Kétty, Oroszgadna, Szeszta, Szigetbölzse, Szolnok, Ujváros, Falucska, Rakaczaszend. 15.

2. E Comitatu Borsod: Felsőzsolcza, Görömböly, Hejőkeresztur, Mucsony, Sajópálfala, Sajószöged, Viszló, Ládbesenyő, Felsőtelekes. 9.

3. E Comitatu Zemplén: Vily et Vitány. 2.

III. E Dioecesi Magno-Varadinensi: Makó, Nyiracsád, Nagykároly, Porcsalma, Csegöld, Nagyvárad. 6.

IV. E Dioecesi Szamosujvárensi: Szatmár. 1.

V. E Dioecesi Strigoniensi: Budapest. 1.

Duplo maior est ergo numerus harum communitatum ecclesiasticarum numero earum, quae anno 1868. congressui Hajdudorogensi per deputatos intererant.

Elogium Sacrae Sedi Apostolicae exhibitum, qua Praesidentes graeco-cath. Hungarorum Commissionis Regnicolaris subscripserunt:

Praeses: Eugenius Szabó, Membrum Curiae Hung. Magnatum.

Socii in praesidio: Paulus Farkas Possessor agrorum, — Dr. Alexander Leövey Consiliarius Ministerialis, Iudex Fori Supremi Administrativi rerum publicarum administrandarum, — Eugenius Illés Iudex Curiae Reg. — Ioannes Pásztélyi Iudex Curiae Reg. — Michaël Medvigy Tabulae Reg. Senatus Praeses.

Vice-Praesides: Iulius Andor Consiliarius Praesidio Reg. Comitiarum, — Eugenius Pásztélyi dr. Advocatus fori utriusque iuratus, — Ignatius Roskovics Artifex Pictor.

Praesides commissionis localis Comitatus Szabolcsensis: Stephanus Fekete Archidiaconus, — dr. Georgius Küzmös Protomedicus Comitatensis, — Andreas Lengyel Vicearchidiaconus.

Praesides commissionis localis Comitatus Hajduënsis: Ladislaus Vargha, Andreas Ujhelyi Parochi.

Praesides commissionis localis Comitatus Borsodensis: Andreas Hodobay Vicearchidiaconus, Paulus Szaffka Notarius Reg. publicus.

Praesides commissionis localis Comitatus Szatmáriensis: Emilianus Melles Archidiaconus, Colomannus Somlyay pens. Consiliarius Civitatis Saltuarius.

Praeses commissionis localis Comitatus Abauj-Tornaënsis: Stephanus Kovaliczky pens. Iudex Tribunalis.

Praeses commissionis localis Comitatus Zemplénensis: Ba-

silius Talapkovics Consiliarius Regius, Director Administrationis redituum publicorum.

Praefecti Secretariatus: Dr. Colomannus Demkó, Director Gymnasii Sup., — Michaël Garancsy ministerialis sectionis Consilarius, — Alexander Novák Professor.

Magistri Secretariatus: Dr. Andreas Rabár Vice-Iudex iudicialis reg., — Victor Farkas Possessor agrorum. Exactor pecuniarum: Nicolaus Barna Administrator numulariús. Rationum contraagentes: Georgius Markos Geometra Superior viarum ferratarum regni hung. et Nicolaus Répássy Geometra culturae agriae. Notarii: Vladimirus Bacsinszky viarum ferratarum reg. Secretarius et Edmundus Kecskóczi Professor.

Peregrinantes cum suo numero conspicuo, modestia et religiosa probitate Romae bonam nominis famam sibi conduxerant. Opinio publica domestica cum gaudio recognovit sedulam activitatem Commissionis Regnicolaris et singulas partialitates aditus susceptionisque Pontificiae. Curia Romana iure exspectare poterat, Gubernium Hungaricum immediate post peractam peregrinationem non esse omissurum filum diplomatiae e novo assumere. At Gubernium Hungaricum perspicuos peregrinationis successus morales haud properavit in bonum commune convertere, rebus domesticis politicis perturbatis effrenatisque partium factionibus in medio positis, ab exspectata et pro certo habita interventione destitit et tali modo actio haec pulchre magnoque cum morali successu ordinata nullum prorsus effectum est consecuta. Pro unico effectu tantum id posset haberi, quod decem annis peregrinationem subsecutis actio contra cultum divinum hungaricum commota contabescuerit, molimina adversariorum Graeco-Catholicorum requieverint et sic restitutio linguarum veteroslavicae et valachicae in statum, in quo antea fuerant, remanserit. Progressioni tamen nec ecclesiasticae nec vero politicae vitae factores vocati ullo gressu succurrebant.

In foro literaturae ecclesiasticae, si minores libros precum et pertractationes ephemeridicas excipias, sub decem annorum

decursu maioris momenti opera in lucem prodivere: »Anthologion szeptember és október hónapokra« Versio hungarica ex lingua graeca ab Emiliano Melles, typis vulgata in Szatmár-Németi a. 1905. Deinde opus, quod inscribitur »Az egyházi közénekek hangjegyes kiadása.« a Ioanne Boksay et Iosepho Malinics confectum, in lucem prodivit Budapestini a. 1904.

Peracta peregrinatione romana, vento silente Commissio Regnicolaris organisationi Parochiae Budapestinensis curam dedit. Super communitate ecclesiastica gr. cath., in conventu fundatorio Budapestini 6-a Ianuarii a. 1895. Praeside Eugenio Popovics Iudice Curiae habito ordinata, iurisdictionem ordinariam vindicaverant sibi Episcopi Munkácsensis ac Eperjesiensis et Ordinariatus Archidioecesis Strigoniensis. Causam litigiosam S. Sedes Romana decidit per S. Congregationem de Propaganda Fide die 25. Decembris a. 1902. sub nro. 74362. edicendo: Fideles gr. cath. Budapestinenses Archidioecesi Strigoniensi adscribendos esse. Metropolis Ecclesiam parochialem novitus fundatam iam prius die 20 Iulii a. 1898. sub patronatum suum recepit, illa sub conditione tamen, ut hac in Ecclesia, in illius cultu divino lingua hungarica evadat domestica. Parochiam hanc Budapestinensem b. m. Franciscus Claudius *Card. Vaszary* Princeps-Primas et Archiepiscopus Strigoniensis die 5-a Ianuarii a. 1905. fundavit atque expedito diplomate fundationali, cives Urbis Capitalis simul ad electionem Parochi invocavit. Urbs, elapso legitime publicato concursus termino, e numero concurrentium die 14. Aprilis a. 1905. Emilianum *Melles* Archidiaconum Parochumque Szatmár-Németiensem elegit pro primo novae fundationis Parocho, qui beneficium 19-a Septembris capessens, cum titulo Abbatis SS. Salvatoris de Szekszárd condecoratus, curam animarum neoërectae Ecclesiae eodem adhuc anno, die 17-a Novembris adivit.

Litterae fundationales huiusce Parochiae non determinaverant linguam liturgicam. Jam ab initio plerosque pervasit opinio: consultatissimum fore, ut in nova Ecclesia parochiali lingua vetero-graeca inducatur qua lingua liturgica. Admini-

stratores communitatis ecclesiasticae tamen susceperant partes liturgiae vetero-slavicae, in illa dimensione cum cultu divino hungarico coniunctae, in qua extensione tunc temporis pars praevalens Parochiarum Dioecesium Eperjesiensis Munkácsensisque lingua hungarica utebatur.

Ordinariatus Strigoniensis Parochiam, de qua agitur, pro omnibus Budapestini degentibus gr. catholicis fundaverat. Huicce sunt consequenter adiuncti non tantum fidelium e Dioecesibus linguam vetero-slavicam usitantibus oriundorum posteri, sed et illi, qui e Dioecesibus Provinciae ecclesiasticae linguae liturgicae rumenae Alba-Iuliensi-Fogarasiensi descenderant. Graeco-catholici Rumeni hanc incorporationem acceptare nolebant. Ordinariatus Strigoniensis petitionem in hac re illorum S. Sedi substravit et S. Congregatio de Propaganda Fide decreto de die 7-a Oct. a. 1907. sub nro 23109. edito, gr. cath. Rumenos Budapestinenses ex iurisdictione Parochiae gr. cath. loci exemit. Magni momenti est argumentatio decisionis. *Propaganda nimirum in decreto suo Hungariam respicienti hac occasione prima vice usurpavit terminos technicos »ritus ruthenus« et »ritus rumenus«,* cum edixisset: Parochiam graeco-catholicam Budapestinensem ob linguam liturgicam vetero-slavicam rutheni ritus esse, Valachos ergo, qui ritui rumeno obsequuntur, isti annumerari non posse.

Hanc S. Sedis decisionem, quae Parochiam graeco-catholicam fidelesque eius pro ruthenis declavarit, inamoene ferebat cum communitas ecclesiastica, tum tota Metropolis. Senatus Ecclesiae autonomicus, necnon communitas Urbis Capitalis protestavere, quominus Parochia haec nomine »ruthena« stigmatisaretur.

Ecclesia haec pluries memorata cum S. Sedis Apostolicae indultu a die 1-a Septembris a. 1909. incipiendo, usum Kalendarii Gregoriani introduxit.

In communitatis ecclesiasticae sinu res de inducendo Kalendario Gregoriano iam a. 1908. agitata est. Conatus hic fideles nonnullos, intelligentiae adnumeratos, animo sensibusque nationalismi ruthenici saturatos, ad delationem cultus divini hungarici impulit. Concessio exsecutiva introductionis novi Kalendarii data et ordinatio S. Sedis liturgicum linguae hungaricae usum interdictoria ferme eodem tempore officio parochiali exhibita fuere.

Interdictum hoc Senatui ecclesiastico sententiam iam in fundatione Parochiae mente agitatam revocavit. Eadem Senatus una ex parte in interesse conservandae linguae cultus divini hungaricae, tum via ecclesiastica, tum precibus impetrato regni Gubernii interventu, bono cum successu intercessit, altera vero ex parte in ecclesiam parochialem Budapestinensem pro lingua liturgica die 15-a Oct. 1909. linguam veterograecam introduxit, eo modo, sicuti hoc p. m. Franciscus Claudius Card. Vaszary Princeps-Primas regni iam anno 1898. Commissioni gr. cath. Hungarorum Regnicolari in institutione commendaverat.

Communitas ecclesiastica viam hanc illo ex obtutu est ingressa, ne partim civium sedis regni benevolentia erga novam Parochiam contestata, nomine ruthenico auctoritate ecclesiastica improvise impicto inquietari possit, altera vero ex parte ne in institutione pro Graeco-Catholicis in sede regni deposita characterem hungaricum exclusivum, etsi per incorrectam terminologiae ecclesiasticae usuationem quoque, quis negare queat.

Sic enatum est gr. cath. Hungarorum primum graecae linguae cum hungarico cultu divino coniunctum institutum.

Inter Commissionem Regnicolarem gr. cath. Hungarorum et Commisionem Exsecutivam Hajdudorogensem Stabilem contactus mutuus inde iam ab anno 1905. frigescere coepit. Introductionem linguae graecae liturgicae Hajdudorogenses adhuc magis reprobavere. Interdictum Parochiae Budapestinensi a. 1910. irruens Commissionem Exsecutivam Stabilem nec minime commovebat.

Negativus peregrinationis romanae effectus, dies ardui Parochiae Budapestinensi imminentes, perturbatio vitae politicae stabilitatis signa prae se ferens, in sinu Commissionis

Regnicolaris communem persuasionem excitavit, negotium gr. cath. Hungarorum non licere concessioni praevenienti, qua inomissibili propositioni annectere, quia historia linguarum liturgicarum gr. cath. testatur, antiquiorem linguam liturgicam subsecuta nova lingua liturgica approbationem tunc solum fuissse consecutam, cum iam tractus novae linguae liturgicae efformatus in ordinem redactus fuerit, cum scilicet territorium organismusque, idest Dioecesis ac Ordinariatus iam stabilem acceperint constitutionem. Sic segregatio quoque gr. cath. natione ac lingua Hungarorum a iurisdictionali terreno alienarum nationalitatum ecclesiastico tantum separata quadam et exclusive in commodum horum fundata institutione potest effici, quia institutionaliter, modo ergo omne dubium excluso unice per segregatam Graeco-Catholicorum Dioecesim posset documentari, Graeco-Catholicos Hungaros non tantum de facto, sed etiam de iure existere.

Commissio Regnicolaris itaque decrevit, se continuato in causa liturgiae hungaricae certamine, inter arma concertatoria postulatum erectionis separatae gr. cath. hungaricae Dioecesis inserturam et effectuationi huic succursuram esse. Talis petitio ad Gubernium regni hungarici directa, quam communis propositio Commissionis Regnicolaris et Commissionis Executivae Hajdudorogensis Stabilis ad finem anni 1910. devenit in manus Gubernii. Hac in petitione consignatum erat: independenter a quaestione linguae liturgicae impetrandam esse erectionem novae Dioecesis sed et illucusque, donec nova Dioecesis erigi poterit, pro concernentibus Episcopis a S. Sede efficienda sit inviatio, qua hi cultum divinum hungaricum more in Ecclesia Latina usitata, seu iuxta analogiam ritus latini organisare debeant.

Haec petitio exordium dedit dissertationibus actionibusque, quarum eventus erectio Episcopatus Hajdudorogensis erat. Prouti supplices, ita et Gubernium Hungaricum petitionem liturgiae hungaricae ex actione sua exclusit. Imo idem Gubernium ratione habita verosimiliter vivi exempli gr. cath. Paro-

chiae Budapestinensis, plura effecit postulatis. Nam concessionem cultus divini hungarici ad analogiam cultus Ecclesiae Latinae non seorsim a quaestione linguae liturgicae, sed cum inductione eiusmodi linguae liturgicae, linguae videlicet vetero-graecae supplicavit, quae nullum characterem prae se fert nationalisticum, neque vim ullam habet expansivam et qua talis profecto etiam S. Sedi Romanae grate acceptata esse poterat.

Ita, postquam hac ratione amota erant omnia, quae Sedes Sacra noluit concedere, ex altera vero parte Gubernium Hungaricum expensas erectioni novi Episcopatus adiunctas lubenter obtulerat, nihil amplius impedimento erat, quominus institutum pro gr. cath. Hungaris iamdudum exoptatum, separata scilicet Dioecesis erigeretur.

Propositioni Comitis Caroli Khuen-Héderváry Ministerii Praesidis et Comitis Ioannis Zichy Ministri Cultus Sua Caesarea et Apostolica Regia Maiestas, *Franciscus Iosephus I.*, Rex Apostolicus Hungariae, qua supremus Ecclesiae Cath. Hung. Patronus benignissime assentiens, die 6-a Maii a. 1912. *Dioecesim graeco-catholicam Hajdudorogensem fundavit,* illamque Sua Sanctitas *Pius X.* Pontifex Romanus cum Bulla »*Christifideles Graeci*« die 8-a Iunii a. 1912. canonisavit, Comitia vero Regni Hungarici in capite legis XXXV. a. 1913. in legem acceptaverunt.

Catalogum Parochiarum novae Dioecesi adscriptarum in se continet Bulla canonisationis, quae verbotenus descripta, inferius communicatur cum Decreto Nuntii Apostolici Viennensis, *Raphaëlis* de Leguigno *Scapinelli* Archiepiscopi Laodiceni die 17. Novembris a. 1912. edito.

Copia.

»ERECTIO DIOECESIS HAJDU-DOROGHENSIS RITUS CATHOLICI IN HUNGARIA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMMORIAM

Christifideles graeci ritus catholici, qui Hungariae Regno subsunt, nullo unquam tempore destitisse praeclaris fidei, pietatis ac studii erga apostolicam Sedem praebendis exemplis, apud omnes in comperto est. Nil mirum igitur si Romani Pontifices singulari benevolentia eos prosequuti fuerint, omnemque operam impenderint, ut ecclesiastica hierarchia inter ipsos maiora in dies susciperet incrementa, novas dioeseses et sedes episcopales constituendo, quoties id postulaverit sive auctus fidelium numerus, sive necessitas alia statuendi doctrinae fideique catholicae domicilia.

Hoc sane praestitit f. r. Pius Papa, Nonus, praedecessor Noster, qui, ut peculiaris suae voluntatis ac paternae sollicitudinis testimonium catholicis Rumenis tribueret, antiquis Rumeni ritus dioecesibus novas Lugosiensem et Armenopolitanam seu Szamosujváriensem Rumenorum addidit, e quibus praeterea unam constituit provinciam ecclesiasticam titulo metropolitico eiusque iuribus ac privilegiis veteri sedi cathedrali Fogarasiensi et Albae Iuliensi tributis. Huiusmodi autem honorem catholici Rumeni non modo sunt meriti, sed eodem in posterum ita digni facti sunt, sive fide firmiter tuenda eaque propaganda penes Rumenos schismaticos, sive amore ac filiali obedientia in Romanum Pontificem, ut catholicis totius Orientis virtutum omnium exemplum se praebuerint.

Iam vero inter fideles Graeci ritus excreverunt etiam qui lingua hungarica utuntur, quique iam a Sancta Sede instantissime petierunt ut dioecesis pro iisdem conderetur. Non est profecto dubitandum hanc erectionem quam maxime conferre, qua cristiana religio, pax et unio inter ipsos graeci ritus fideles variis sermonibus loquentes foveantur, arctiora reddantur vincula, quibus Regnum apostolicum S. Stephani devincitur Cathedrae Apostolorum Principis, item periculum avertatur probrosissimi illius abusus, a Summis Pontificibus pluries damnati, inducendi nimirum linguas vernaculas in sacram Liturgiam.

Quapropter Nos, benigne excipientes vota Maiestatis Suae

Francisci Iosephi Austriae Imperatoris et Regis Hungariae apostolici, nec non preces venerabilium fratrum Nostrorum Cardinalis Primatis Archiepiscopi Strigoniensis aliorumque eiusdem Regni sacrorum Antistitum, omnibus sedulo ac maturo studio perpensis, suppleto praeterea, quatenus opus sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant, eo sensu, de apostolicae potestatis plenitudine unam dioecesim Graeci ritus catholici in Regno Hungarico instituendam decernimus, Hajdu-Dorogensem denominandam, in eum qui sequitur modum.

Imprimis novae huius dioecesis territorio perpetuo attribuimus et assignamus inferius describendas paroecias, quas, idcirco, e dioecesibus, ad quas modo pertinent, apostolica auctoritate dividimus ac seiungimus, idest e dioecesi Eperjesiensi: Felsőzsolcza, Görömböly, Hejőkeresztur, Miskolcz, Sajópálfalva, Sajópetri, Sajószöged, Komlóska; e dioecesi Munkácsensi: Bodrogkeresztur, Bodrogolaszi, Mezőzombor, Szerencs, Tokaj, Tolcsva, Sárospatak, Sátoraljaujhely, Végardó, Zemplén, Bodrogszerdahely, Cséke, Dámóc, Kisdobra, Bodrogmező, Zemplénagárd, Bököny, Hajduböszörmény, Debreczen, Hajdudorogh, Érpatak, Tiszabüd, Ujfehértó, Ajak, Révaranyos, Nyirkarász, Nyirmada, Nyirtass, Tornyospálcza, Nyirgyulaj, Kállósemjén, Kisléta, Levelek, Máriapócs, Nyirbakta, Biri, Kótaj, Nagykálló, Napkor, Nyiregyháza, Oros, Nyirpazony, Nyirgelse, Nyirbéltek, Nyirlugos, Nyirpilis, Penészlek, Piricse, Balsa, Buj, Kenézlő, Vencsellő, Timár, Nyirderzs, Fábiánháza, Gebe, Hodász, Nagydobos, Nyircsászári, Nyirvasvári, Ópályi, Nyirparasznya, Jánk, Kökényesd, Nagypeleske, Sárközujlak, Nagykároly, Szatmárnémeti, Szárazberek, Turterebes; e dioecesi Szamosujváriensi: Batizvasvári, Szatmár (Parochia rumena), Szatmárudvari, Józsefháza; e dioecesi Magnovaradinensi Rumenorum: Amac, Szatmárzsadány, Nagykolcs, Csengerbagos, Csegöld, Csengerujfalu, Óvári, Pete, Porcsalma, Szamosdob, Vetés, Csomaköz, Domahida, Gencs, Kismajtény, Nagykároly (parochia rumena), Reszege, Szaniszló, Érdengeleg, Érendréd, Mezőterem, Portelek, Vezend, Éradony, Érkörtvélyes, Értarcsa, Gálospetri,

Nyiracsád, Nyiradony, Piskolt, Nyirábrány, Vasad, Álmosd, Bagamér, Érkenéz, Érselind, Hosszupályi, Kakad, Nagyléta (parochia rumena), Nagyléta (parochia ruthena), Pocsaj, Vértes, Makó, Nagyvárad (parochia ruthena); ex Archidioecesi Fogarasiensi: Árkos, Nagyborosnyó, Nagykászon, Csikszentgyörgy, Csiklázárfalva, Gelencze, Illyefalva, Lemhény, Lisznyó, Kézdiszenkereszt, Torja, Abásfalva, Alsóboldogfalva, Bözödujfalu, Sóvárad, Szárazajta, Székelyszenterzsébet, Székelyudvarhely, Oláhzsákod, Gyergyóalfalu, Csikszendomokos, Szépviz, Gyimesbükk, Gyergyószentmiklós, Gyergyóvasláb, Nyárádandrásfalva, Nyárádbálintfalva, Harasztkerék, Nyárádkarácson, Kebeleszentivány, Marosvásárhely, Székelysárd, Szentháromság, Szentlőrincz, Kisteremi; ex archidioecesi Strigoniensi: Budapest.

Quamvis tres ex modo relatis paroeciis graeci ritus, Budapest, Makó, Magnovarad (Nagyvárad) nuncupatae, a territorio Hajdu-Doroghensis dioecesis longe distent, quum tamen ipsarum fideles fere omnes hungarice loquantur, peropportunum visum est eas novae erectae dioecesi adiungere atque aggregare. Quod ad paroecias e Fogarasiensi archidioecesi dividendas, quippe quae a nova dioecesi sint et ipsae discretae atque ab eius episcopali sede dissitae, indulgemus, ut ab Ordinario Hajdu-Doroghensi regantur per Vicarium ab eo nominandum et constituendum.

Huius dioecesis ita finibus circumscriptae Sedem episcopalem in urbe vulgo »Hajdu-Dorogh«, quae satis ampla est vitaeque commodis provisa, et a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, perpetuum in modum erigimus et instituimus; ecclesiam vero, quae beatae Mariae Virgini a Praesentatione ibidem dicata extat, quaeque decora et opportuna dignoscitur, paroecialem ut antea extituram, sub eodem titulo et invocatione ad cathedralis gradum et dignitatem item perpetuo evehimus et extollimus; in qua praeterea cathedrale capitulum, quod senario canonicorum numero constabit, sub uno Archipresbytero seu Praeposito maiori, tamquam capite, perpetuo pariter erigimus et instituimus; tributis tum episcopali Sedi, tum cathedrali

sive ecclesiae sive capitulo, omnibus honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis, quae ipsis de iure competunt, vel quibus ceterae eiusdem ritus cathedrales et episcopales ecclesiae in Hungaria ex legitima consuetudine potiuntur et gaudent.

Residentiam novi episcopi ac eius pro tempore sucessorum constituimus in aedibus a communitate Hajdu-Doroghensi oblatis, quae tamen cura Gubernii Hungarici aptandae erunt, ut ipsius episcopi eiusque episcopalis familiae decentem et congruam habitationem apprime praeseferant.

Item secundum ea, quae cum eodem Gubernio conventa sunt, assignamus et attribuimus mensae episcopali pro eius dote summam quadraginta millium coronarum e publico aerario quotannis solvendam; pro Curia episcopali aliisque officiis dioecesanis alteram summam duodecim millium coronarum; pro vicario denique, in paroeciis ex archidioecesi Fogarasiensi dividendis constituto, eandem coronarum summam, qua ceteri vicarii dioecesium graeci ritus in Hungaria fruuntur.

Simili modo canonicis novi capituli cathedralis, praeter decentem et congruam habitationem in aedibus a communitate Hajdu-Doroghensi extruendis, eam omnino assignamus et attribuimus dotem a Gubernio Hungarico persolvendam, qua gaudent capitulares aliarum Cathedralium graeci ritus in Hungaria, idest canonico *Archipresbytero seu Praeposito maiori* sex millium et biscentum coronarum, *Archidiacono seu Lectori* quinque millium et sexcentarum, *Ecclesiarchae seu Custodi* quattuor millium et nongentarum, *Scholastico* quattuor millium et septingentarum, *Chartophilaci seu Cancellario* quattuor millium et quingentarum et *Praebendato* quattuor millium et centum coronarum.

Volumus autem, ut Gubernium Hungaricum, secundum onus, quod sibi assumpsit, sustineat impensas sive pro reficiendis aedibus tum episcopalibus tum canonicalibus, tum fabricae ecclesiae cathedralis eiusque sacrarii, sive pro ipsius Cathedralis cultu necessarias.

Quum primum necessitas postulaverit, mandamus, ut ad iuniores clericos rite instituendos seminarium dioecesanum erigatur, cui pariter Gubernium Hungariae suppeditabit constructas aedes una simul cum sumptibus pro eisdem reficiendis ac pro alumnis atque professoribus alendis et sustentandis.

Iubemus etiam, ut antiquae mensae episcopales rumeni ritus servent, sicut antea, beneficia hucusque possessa, itemque fundationes pias in dioecesium rumenarum emolumentum factas, ita ut ab illis dioecesibus separari ac novae dioecesi Hajdu-Doroghensi attribui minime possint ac valeant.

Ad linguam liturgicam huius novae erectae dioecesis quod attinet, praecipimus, ut sit graeca antiqua, vernacula vero in functionibus tantum extraliturgicis eodemque modo, quo in ecclesiis latini ritus, iuxta Sanctae Sedis decreta illa uti fas est.

Quod vero memoratae novae dioecesis sacerdotibus tempus suppetat antiquae linguae graecae addiscendae, tribus tantum annis decretam huius dioecesis erectionem proxime sequentibus in singulis paroeciis ea lingua liturgica uti poterunt, quae hucusque usitata est, vetita prorsus hungarica lingua, quam, quum non sit liturgica, in sacra Liturgia nunquam adhibere licet.

Haec autem Sanctae Sedis praescriptio ut religiosissime observetur, firmam spem fovemus Gubernium Hungariae, quemadmodum pacto se obstrinxit, Sacrorum Antistitibus pro tempore existentibus omne auxilium et assiduam operam fore collaturum.

Quapropter animum Nostrum gratum exhibere volentes in Maiestatem Suam Franciscum Iosephum Austriae Imperatorem et Hungariae Regem apostolicum ob munificentiam, qua omnes sumptus nunc et in posterum necessarios et opportunos pro dioecesis Hajdu-Doroghensis constitutione ex publico aerario ferendos statuit, item pro certo habentes eamdem Maiestatem

Suam fore et deinceps prospecturam incremento ac prosperitati ecclesiarum quoque ritus orientalis sicut et aliarum in suis dominiis existentium, memoratae Maiestati Suae, eiusque Successoribus, ius Romano Pontifici pro tempore existenti nominandi seu praesentandi infra tempus a iure statutum ad dictam Hajdu-Doroghensem cathedralem ecclesiam dignum et idoneum ecclesiasticum virum iis omnibus praeditum dotibus, quas sacri Canones requirunt, ab eodem Romano Pontifice in episcopum praeficiendum, concedimus.

Dioecesim praeterea Hajdu-Doroghensem, ut praefertur erectam, iurisdictioni ac dependentiae sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Rituum Orientalium subiicimus, simulque suffraganeam constituimus archidioecesis Latini ritus Strigoniensis, cuius archiepiscopi metropolitico iuri episcopos pro tempore existentes Hajdu-Dorogensis subdimus.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel defectu, aut quavis ex alia causa quantumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo, quod causae, propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae, seu iustificatae non fuerint, de subreptionis, aut obreptionis vel nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quopiam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente, defectu seu etiam ex eo, quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quoqunque alio capite, colore, vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessarium foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris vel facti, aut gratiae seu iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et

impetrato, quempiam uti, seu iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque Litteras et Constitutiones apostolicas, aut Cancellariae apostolicae regulas, etiam consistorialiter ex quibusvis causis et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis (etiamsi in eis de iisdem partibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat) quandocumque editas vel edendas, minime ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum comprehendi, seu comprehensas ullo modo censeri, sed semper et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et ita ab omnibus censeri ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam Causarum Palatii apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari.

Ad haec denique exsequenda deputari edicimus venerabilem fratrem Raphaëlem Scapinelli de Leguigno, Archiepiscopum titularem Laodicensem ac penes Imperialem et Regiam Austro-Hungaricam Aulam Nuntium apostolicum cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemcumque ecclesiastica dignitate ornatum, atque definitive pronuntiandi super quavis difficultate seu oppositione in exsecutionis actu oritura, facto tamen eidem onere intra sex menses ad sacram Congregationem Consistorialem mittendi authenticum exemplar exsecutionis peractae.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae apostolicae regula »De iure quaesito non tollendo« ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac Litteris apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil poenitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice, dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium Litterarum transsumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscribtis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, adhibeatur in iudicio et extra illud eadem prorsus fides, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, impertitionis, statuti, subiectionis, decreti, commissionis, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, in-

dignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo decimo secundo, die octava mensis iunii, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Cardinalis Agliardi, S. R. E. Cancellarius.

Pro Emo Secretario S. C. Consistorialis absente

Scipio Tecchi, Adsessor.

L. + P.

Reg. in Cancell. Apost., sz. 48/12.

M. Riggi, C. A. Notarius."

Copia.

NUNTIATURA APOSTOLICA VIENNENSIS

Reverendissimis Dominis Archipresbyteris, Parochis, ceterisque sacerdotibus Dioecesis Haydu-doroghensis, salutem in Domino.

Decreto huius Apostolicae Nuntiaturae hodierna die dato, executio canonica fit Bullae »Christifideles« die VII. Junii MCMXII. expeditae, qua Beatissimus Pater novam dioecesim Hajdudoroghensem erexit.

Eodem decreto, auctoritate Apostolica Nobis a Sancta Sede speciali modo delegata, constituimus et nominavimus neoërectae dioeceseos Administratorem Apostolicum Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Antonium Papp, Episcopum Munkácsensem, donec eidem dioecesi definitive de proprio Pastore provideatur.

Mandat igitur et praecipit Sanctitas Sua, ut praelaudatus Episcopus Munkácsensis ex hac die administrationem apostolicam et regimen dioeceseos Hajdudoroghensis assumat; et consequenter vos, Reverendissimi Domini, sub eiusdem jurisdictione positi, dignissimum Praelatum tanquam vestrum legitimum Superiorem considerare debeatis, eique praestare in Domino

devotionem, reverentiam et oboedientiam tenemini: ipse enim directe et expresse repraesentat Patrem fidelium communem, ad hoc ut vos dirigat in exercitio ministerii, ad salutem animarum curis vestris concreditarum provehendam.

Non ignotus quidem Vobis Pastor praeficitur, cuius doctrina, prudentia, charitas, zelus, vos certe non latet: ipse omnes uno paterno amplexu vos humanissime recipiet, difficultatibusque vestro ministerio propriis, praesertim cum de paranda nova, aliquo modo, directione agatur, consilio providebit. Non autem praefata, ut ita dicam, nova directio, ut bene nostis, statim incipiet; nam trium annorum spatio indulgetur in sacris ritibus usus linguae liturgicae in unaquaque paroecia hucusque adhiberi solitae, exclusa semper lingua hungarica, quam in liturgicis actionibus adhibere nunquam licebit. Elapso hoc temporis spatio, lingua graeca antiqua in liturgicis functionibus adhibebitur, quae, sicut vobis compertum est, fuit primitiva lingua liturgica venerabilis vestri ritus. Hanc linguam, si iam non noveritis, Deo adjuvante addiscetis durante hoc temporis spatio; et non dubitamus, quin etiam vestrae curae erit, ut laici quoque in functionibus liturgicis participantes suis responsionibus, eam, saltem quoad lecturam, addiscant. Linguae vernaculae in extraliturgicis, et tanto magis in precibus privatis, in praedicatione et instructione populi: quae quidem praedicatio et instructio, in lingua qua omnes utuntur facienda est: imo in diversis linguis, si una ab omnibus non intelligatur.

Ceterum, omnes cuiuscumque labii, cuiuscumque ritus, cuiuscumque nationis catholici, fratres quidem in Christo sunt, fraternaque dilectione ad invicem prosequi tenentur; et Beatissimus Pater, uti Christi in terris Vicarius, omnes uno benevolentissimo charitatis vinculo complectitur ac diligit: universi quidem, qui catholicis doctrinis adhaerent, unum ovile sub uno eodemque Pastore constituunt. Horum aeque omnium Ipse, ad imaginem Divini Pastoris, in cunctis suis dispositionibus et praeceptis, bonum animarum respicit ac earum aeternam salutem. Ipse, qui perspicue vestram devotionem novit et stu-

dium in Apostolicam Romanam Sedem, centrum unionis et unicum salutis aeternae portum, certo tenet, quod vos, Reverendissimi Domini, quantum ad vos pertinet, curaturi eritis, ut in medio fidelium vestro praeclaro zelo concreditorum, pax Christi, tranquillitas, filialisque confidentia in Sanctam Sedem et in dignum Antistitem, qui Eam repraesentat in regimine novae vestrae dioeceseos, imperturbate existat; scientes, quod bonum spirituale tantummodo Ecclesia quaerit, et per cooperationem vestram inter fideles vestros sperat consequi posse.

Apostolicam autem Benedictionem SSmi Patris Nostri Vobis, Reverendissimi Domini, fidelibusque vestris transmitto et omnia quaeque fausta a Domino ex corde adprecor.

Viennae, ex Aedibus Nuntiaturae Apostolicae, die XVII. Novembris MCMXII.

Raphael Archiep. Laodicen.
Nuntius Apostolicus."

Publicus populorum regni recensus anno 1910. in Episcopatus Hajdudorogensis ambitu 215498 fideles graeco-catholicos adinvenit. Ex his lingua materna Hungari erant 183575, Slavici 1623, Rumeni 26823, Rutheni 968, aliae linguae 2804. Ex numero illorum, qui non erant linguae maternae hungaricae, huius tamen linguae gnari 24094, ignari 7826. Numerus ergo sermonis nativi Hungarorum una cum illis, qui, quamvis labii alieni, linguam tamen hungaricam bene callebant, universim 207627. Itaque fideles sermonis hungarici ignorantes in nova hac Dioecesi anno erectionis efficiebant partem 3.6% summae eiusdem Eparchiae Graeco-Catholicorum, ast etiam haec pars exigua verosimiliter ex infra 7-um annum prolibus et senibus coaluit. Recensus iste optime demonstrat fideles novae Dioecesis expresse Hungaros esse.

Recensus publicus a. 1910. in Hungaria 304322 incolas graeco-catholicae religionis numeravit. Tali modo 120749 gr. cath. Hungari adhucusque iurisdictioni linguae liturgicae rumenicae et ruthenicae episcopali sunt subiecti seu omnium gr. cath. Hungarorum 40%.

Novus hic Episcopatus in toto vel ex parte extenditur ad tractus Comitatuum Csongrád, Csanád, Heves, Jásznagykunszolnok, Borsod, Ung, Zemplén, Békés, Bihar, Hajdu, Szabolcs, Szatmár, Ugocsa, Csik, Háromszék, Marostorda et Udvarhely.

Quod attinet emolumenta ex inductione linguae graecae liturgicae pro gente hungarica emanantia, hac de re Eugenius Szabó Praeses Commissionis Regnicolaris gr. cath. Hungarorum, in opere suo iam pluries citato: »A gör. kath. magyarság utolsó kálváriautja« dissertationes ad finem perducendo sequentia dicit:

»Quod Gubernium regni hungarici introductione graecae linguae liturgicae est consecutum, id ex obtutu gentis hungaricae expressa, irrevocabilis et perfecta victoria potest nominari. Ab illo ipso enim momento, quo nova Dioecesis erecta sit, gr. cath. Hungaros nemo posthac nec pro Ruthenis nec pro Valachis, sed unice pro Hungaris habebit. Certum est quidem, periphrasim accomodationis linguae hungaricae restare adhuc in cultu divino. Ex hac parte Bulla canonisationis et decretum institutionis assecurationem ad minimum reduxerat, sed participationem hanc minimalem legaliter in tuto collocavit. Nequit fieri, ut auferatur, sed augmentari ad illam usque mensuram, quousque exigentiae spirituales expostulant, potest. Iam si rem ex unico hocce obtutu spectes, magni momenti esse illam invenies. Cultus divini hungarici principii instar expressam concessionem non licet parvi aestimare. Plus valent pauca, at legalia, quam complura, si illa illegalia sunt. Considerato emolumento ex appositione linguae hungaricae ad emortuam linguam liturgicam vetero-graecam profluenti, etiam minima usus linguae hungaricae venia legalis incomparabiliter maioris est pretii, quam si concessio haec linguae liturgicae veteroslavicae vel rumenae apposita fuisset«.

Decretum Nuntiaturae Apostolicae Viennensis diei 17. a. 1912. administrationem novae Dioecesis curae *Antonii Papp* Episcopi Munkácsensis demandavit, qui ut Administrator Apostolicus Episcopatum Hajdudorogensem usque ad diem 5. Oct. a. 1913. seu usque ad inthronisationem primi Episcopi dioecesani gubernavit.

Documenta erectionis et canonisationis necdum fuerint publicata, cum iam in novae Dioecesis horisonte atrae nubes partim ex agitatione politicorum nationalitatis valachicae, partim vero ex definitione stabilis sedis novi Episcopatus provenientes se exaggeravere.

Dioecesis haec semiparte e territoriis Episcopatuum linguae liturgicae rumenicae est dismembrata. »Comité« nationalistica Valachorum negabat characterem hungaricum fidelium hungarorum e Dioecesibus Magno-Varadinensi, Szamosujvárensi et Alba-Iuliensi-Fogarasiensi adnexorum, etsi hi ipsi se linguae maternae hungaricae natos esse profiterentur. Imo membra »Comité« etiam extra Hungariam queribunde Gubernium Hung. accusaverant, hoc plura milia Valachorum et origine et lingua talium e sphaera Dioecesium valachicarum vi adhibita hungaros fieri operam dare.

Memorata »Comité« communitates ecclesiasticas novae Dioecesis in finibus Comitatuum Bihariensis et Szatmáriensis sitas ad resistentiam dissidiumque concitare studebat. Erant, qui decretum Nuntiaturae institutivum acceptare nolebant et istud remiserunt. Nonnulli delegatis Administratoris Apostolici obedientiam denegaverant. Generatim tamen instigationes a »Comité« profectae nullum habuere successum.

Pars potior communitatum eccelsiasticarum quieta cum mente suscepit incorporationem. Tantum in parochiis Kismajtény et Szamosdob est exorta vehementior animorum fluctuatio, at paulatim et haec sedata, finitoque processu iudiciali civili, ad litem ecclesiasticam contestatoriam disciplinarem causa non est deducta. Commissio Regnicolaris gr. cath. Hungarorum provocando ad factum, quod post erectionem quoque

Dioecesis Hajdudorogensis 40% gr. cath. Hungarorum sub Dioecesium nationalisticarum iurisdictione remanserit, postulavit, ut si novae Dioecesis discriptio revisioni esset subiecta, consulatur simul illis quoque 12000 graeco-cath. Hungaris, qui ob causas territoriales pro nunc e Dioecesi Hungarorum exclusi remanserunt.

Comes Stephanus Tisza Praeses Ministerii in sessione reg. Comitiorum die 5 Decembr. a. 1913. habita, observato utrimque provenientis desiderio declavarit, Gubernium Hung. certe se non fore interclusurum, quominus ambitus Dioecesis Hajdudorogensis revisioni subdatur, ast filum pertractationum tantum mutua reciprocitate prae oculis habita posse recipere. Hocce facto consulturum esset desideriis non tantum valachicis, sed hungaricis quoque. Hoc fundamento pertractationes incitatae sunt quidem, sed revisio toties postulata cum conditione Gubernii supramemorata nec iam valachicis rerum politicarum viris erat optabilis. Fluctus agitationis paulatim levigabantur et bellum medio a. 1914. omnium gentium interveniens quaestionem de foro penitus sustulit.

Pro sede novi Episcopatus Collegium Episcoporum Hung. cum Gubernio regni consentienter, oppidum *Debreczen* exassignavit. Desiderium partis praevalentis interessatarum parochiarum conveniebat in hac re cum sphaerae officiosae ecclesiasticae ac politicae studiis. Huic communi desiderio obstabat partim localis interesse oppidi Hajdudorog, altera ex parte aemulatio invidiosa helveticae confessionis Protestantium. Posteriores hi in vulgus dispergebant »calvinisticam Romam«, Debreczen nempe inficiatum iri, si forte novus gr. cath. Episcopatus sedem ibidem obtinuerit. Tunc temporis, quando erectio novi Episcopatus res adhuc minime certa erat, die 12. Septembris a. 1911. Hajdudorogenses, quibus sedes episcopalis cordi erat, in conventum congregati ius suum ad sedem episcopalem indicaverant. Mense Februario a. 1912. competentibus foris iam constabat aemulationem civium Debrecinensium calvinisticam avocare a proposito suo haud posse. Tunc Hajdudorog, ut

sedem episcopalem sibi tutam reddat, commodo huic sacrificia materialia vires oppidi superantia asportanda se deobligavit. Hac agendi ratione oppidum assecutum est, ut in Bulla canonisationis sedis episcopalis instar locum capere potuerit Pars autem longe maior Ecclesiarum id aequo animo ferre noluit et pro sede episcopali civitatem *Nyiregyháza* rogavit. E Dioecesibus Munkácsensi et Eperjesiensi annexionem expectantium communitatum ecclesiasticarum septem et quinquaginta partibus oppidi Nyiregyháza fovebant. Pro residentia Hajdudorogensi econtra usque ad diem 1. Octobris a. 1912., — exempto ipso, cui res intererat, oppido — tres tantum Ecclesiae steterunt. Selectae Dioecesium valachicarum Parochiae hac ex parte quoque in passivitate permanserunt, 18 Ecclesiae tamen ex his quoque civitati Nyiregyháza se adiunxere.

Interim die 21. mensis Aprilis a. 1913. in persona **Stephani Miklósy**, antea Parochi Sátoraljaujhelyensis et Archidiaconi Zemplénensis primus novae Dioecesis Episcopus denominatus est. Novus Ordinarius die 5-a Octobris a. 1913. ab Episcopo Crisiensi Iulio *Drohobeczky*, concelebrantibus Dre Augustino *Fischer-Colbrie* Episcopo Dioec. Cassoviensi et Dre Iosepho *Lányi* consecr. Episcopo Tinniniensi consecratus, eadem die, Presbyteris dioecesanis circa centum ac triginta circumstantibus, installatus est quoque et sic regimen Dioecesis suscepit.

Causa residentiae episcopalis nondum ad finem perducta, Episcopus in oppido Debreczen, loco Dioecesis suae accomodatissimo quaesivit ac invenit domicilium sibi aulaeque suae aptum. Praesul in sede hac interimali honorificentissime est exceptus. Comitatus Szatmáriensis Ecclesias non dudum adhuc malcontentas cum oliva pacis aequitatisque adivit et postquam renitentiam hic-illic ostentatam prudentia sed simul fortibus cum manibus comprimuerat, visum est omnibus, ac si ordinationi novi instituti nihil esset impedimento inserviturum.

Speciem tamen externam alta voce redarguit attentatum nefarium die 23. Februarii a. 1914. in personam Episcopi Debreczini commissum. Manus maleficae, sub titulo doni pii in scrinio

clausi inscriptione Episcopi provisi bombam i. e. machinam ad explosionem praeperatam miserunt eidem via postali ex urbe Czernovitz. Litterae adventum doni indicantes lingua hungarica scriptae praecipuae Episcopi curae commendaverant candelabrum, argenteum inauratumque, medio scrinii repositum et Ecclesiae Cathedrali oblatum. Providentia divina personam Episcopi a morte attentata liberavit sed officiales eius, qui tempore apertionis scrinii aderant, nominatim: Michaëlem *Jaczkovics* Vicarium Episcopalem, Ioannem *Slepkovszky* Secretarium Episcopalem et Doctorem Alexandrum *Csatth* Fiscum Dioecesanum explodata bomba horride in partes dilaceravit, cancellariam dioecesanam pessumdedit et complures vulneravit. Attentatores valachi erant sed auctores facti scelerosi inquisitio in castris illorum adinvenerat, quos non diu post lis ad seditionem excitantium decisiva in Máramarossziget peracta detexit, in illis videlicet castris Moscoviticis, quae bellum praeparaverant iam tunc appropinquaturum.

Vix de attonitu attentati nova Dioecesis experrecta est, cum brevi iterum inopinatum impetum perpeti est coacta. Illi namque cives Debrecinenses, qui decisioni negativae a coetu communitatis de causa sedis episcopalis die 31. Octobris a. 1912. habito latae acquiescere nolebant, rem novo consilio esse subiiciendam rogabant. Attamen intolerantia ex parte helv. confess. Protestantium iam prius acriter manifestata nunc post nefandum attentatum quoque, imo, si res ita exiguissent, praesente ipso Episcopo prona erat decretum istud negativum etiam excitatione scandalorum innovare.

Ne consilium hoc deduci possit ad actum, ipso Episcopo intercedente propositio illa a pertractatione in communi civium conventu est retenta. Episcopus vero decrevit se domicilium sedemque suam, ut primum fieri poterit, in oppidum a praevalenti parte Dioecesis exoptatum, in Nyiregyháza quippe esse transpositurum. Ceterum oppidum hoc, quum in omnibus sit sat excultum, incolas numeret fere 40000, positum sit in Eparchiae centro georgaphico et scholis, paedagogiis, institutisque

aliis culturalibus abundet, pro residentia episcopali est maxime idoneum.

Communitas porro eiusdem Civitatis in testimonium optimi erga Episcopatum sensus, 250 milia coronarum in aere parato fundumque pretiosum in finem aedificationum obtulit ea sub conditione, ut residentia eppalis, seminarium clericorum, domus canonicales etc. exstruantur eodem in oppido.

Transpositio sedis reapse facta est. In domo gr. cath. Parochiae Nyiregyházaënsi conducticia, sectionibus scopis Episcopatus convenientibus occupatis et in ordine collocatis, Ordinarius cum Gubernio reg. hungarico consentienter die 23. Septembris a. 1914. sedem suam in Civitatem Nyiregyháza transtulit, quod S. Sedi Romanae pro approbatione indicavit, Clero populoque Dioecesis vero litteris circularibus nro XI/914. notificavit.

Interim, durante bello atrocissimo, Princeps Pacis in terris, Sua Sanctitas *Pius Papa X.*, Dioecesis nostrae fundator, die 20. Augusti a. 1914. in Patriam decessit aeternam e vivis. Memoriam Patris optimi filiali cum pietate recolimus nobis gratissimam et colendissimam. In successorem illius electus est die 25. Maii Emus Cardinalis Jacobus *Delle Chiesa,* Archiepiscopus Bononiensis, qui nomine »*Benedictus XV.*« assumpto accedit ad Ecclesiae gubernium.

Peracta Episcopatus in oppidum Nyiregyháza translatione, bello iam tunc fere per omnes tractus terrae furenti tota vita publica aggravata est. Per se intelligitur his duris sub annis ordinationem novae Dioecesis subito exstrui haud potuisse. Inevitabilia tamen non sunt neglecta. In Canonicos capitulares, quorum numerum iam Bulla Canonisationis ex sex membris constantem esse decreverat, die 20-a Maii a. 1914. denominati sunt: Theodorus Damjanovics in Canonicum Lectorem, Eugenius Bányay pro Canonico Cantore et Alexius Mitrovics in Canonicum Custodem. Installatio novi Capituli die 28. a. 1914. adhuc Debreczini est peracta. Ibidem celebravit Episcopus die 2-a Iulii a. 1914. primam S. Sedis Consistorialis

sessionem simulque primum concursum dioecesanum. In Assessores S. Sedis Consist. denominati sunt ac primae sessioni adfuere sequentes:

Theodorus Damjanovics Canonicus-Lector; Eugenius Bányay Canonicus-Cantor; Alexius Mitrovics Canonicus-Custos; Emilianus Melles Abbas tit., Parochus Budapestinensis; Iulius Ruttkay Archidiaconus, Parochus in Nyiregyháza; Romulus Georgius Marchis emer. Archidiaconus, Parochus Nagykárolyensis; Ioannes Boros emer. Vice-Archidiaconus, Parochus Makóensis; Augustinus Damjanovics tit. Vice-Archidiaconus, Parochus Sátoraljaujhelyensis; Iosephus Mihalovics emer. Vice-Archidiaconus, Parochus Sajószögedensis; Antonius Gönczy Vice-Archidiaconus, Parochus in Szatmár-Németi; Andreas Zapotoczky emer. Vice-Archidiaconus, Parochus Sajópetrinensis; Nicolaus Szabó V. A. D., Parochus Bökönyensis; Andreas Ujhelyi Parochus Hajdudorogensis; Ioannes Mihálka V. A. D. ad hon., Parochus in Szatmárzsadány; Nicon Fenczik V. A. D., Parochus in Sárospatak; Constantinus Balogh Parochus Tokajensis; Alexander Rojkovics V. A. D., Parochus Hejőkeresztúrensis; Ignatius Szabó V. A. D., Parochus Nagylétaensis; Ioannes Papp, tit. V. A. D., Parochus Hajdúböszörményensis; Nicephorus Geysa Melles Director Cancellariae Eppalis et Secretarius; Arthurus Boér V. A. D., Parochus Nagykászonensis.

Absentiam suam excusaverunt: Ioannes Bányay Canonicus Honorarius, V. A. D., Parochus Szerencsensis et Antonius Szitovszky V. A. D., Parochus Nagykállóensis.

In nova Episcopatus Civitate Residentiali administratio Dioecesis evasit completior, postquam scilicet Canonici quoque inde ab Idibus Octobris 1914. ibidem fixum capessiverant habitaculum ac officia ipsis ab Ordinario commissa adimplere accederant. Episcopus in aedibus pro stabili residentia ipsi traditis Capellam debite exornatam, S. Stephano Archidiacono ac Protomartyri, qua Dioecesis Patrono dedicatam instrui curavit.

Multum contulit organisationi, quod Sua Maiestas Regia b. m. Franciscus Iosephus I. ad propositionem Episcopi Dioec. quinque Archidiaconatus extra Capitulum creavit et ad illa decisione ddto die 6-a Septembris a. 1915. emanata dignata est sequentes denominare. In Archidiaconum Szabolcsensem: Iulium Ruttkay, Parochum Nyiregyházaënsem. In Archidiaconum Szatmáriensem: Romulum Georgium Marchis, Parochum Nagykárolyensem. In Archidiaconum Zemplénensem: Augustinum Damjanovics, Parochum Sátoraljaujhelyensem. In Archidiaconum Siculiensem: Iulium Hubán, Parochum Szatmáriensem. Huic ultimo Ordinarius insimul munus Vicarii Episcopalis Siculiensis quoque tradidit, eidemque sedis instar oppidum Maros-Vásárhely exassignavit.

Sua Maiestas Regia porro resolutione ddto die 17-a Augusti 1915. sex stalla Canonicorum Honorariorum clementissime fundavit.

Definitiva ordinatio administrativa Dioecesis facta est die 24. Iunii a. 1916. Sensu huius ordinationis

1. in Archidiaconatu Cathedrali tres Vice-Archidiaconatus cum 28 Parochiis,

2. in Archidiaconatu Szabolcsensi quattuor Vice-Archidiaconatus cum 33 Parochiis,

3. in Archidiaconatu Szatmáriensi quinque Vice-Archidiaconatus cum 43 Parochiis,

4. in Archidiaconatu Zemplénensi tres Vice-Archidiaconatus cum 24 Parochiis,

5. in Archidiaconatu Siculiensi quattuor Vice-Archidiaconatus cum 35 Parochiis adinveniuntur.

Terminus supra citatus evasit in Dioecesibus Munkácsensi, Eperjesiensi ac Hajdudorogensi celeberrimus per introductionem Kalendarii Gregoriani. Ordinarii etenim, considerantes damna spiritualia ac temporalia, quibus fideles nostri ex usu Kalendarii Gregoriani sunt expositi, pro illo tollendo die 4-a Maii a. 1916. hic in Nyiregyháza convenerunt. Re mature perpensa, intentionibus S. Sedis Apostolicae ac voluntati b. m. Francisci Iosephi I. Regis Apostolici personaliter expressae correspondenter, quaestione cum Metropolita nostro, eminentissimo Cardinali Dre Ioanne Csernoch Archiepiscopo Strigoniensi ac Principe Primate pertractata, assentientibus demum Capitulis trium Eparchiarum Cathedralibus, Praesules unanimiter decreverunt celebrandis in festis novo exhinc esse utendum Kalendario. Decretum hoc saluberrimum cum Dioecesium Cleris per litteras circulares, cumque fidelibus per litteras pastorales communicaverunt mandando, ut festum ratione hac *die 24-a Iunii a. 1916.* servandum primum Nativitas sit Beati Ioannis Baptistae

Institutio haec salutaris nulla redoluit novitate, nullamquae causavit in vita fidelium differentiam, cum anno hoc et 1915-o elapso tempus celebrationis Festi Paschatis in Occidente ac in Oriente coinciderat. Communitates ecclesiasticae nostrae fere omnes maximo cum gaudio exceperunt edictum istud commune praesuleum eique illae paucae, quae agitationibus quibusdam nationalisticis cedentes, ob pusillanimitatem hac necessaria reformatione prius offensos se esse existimaverant, iam plane acquieverunt. Decretum hoc Beatissimo Patri Benedicto XV. et Regi Nostro Apostolico pro confirmatione est praesentatum ac benignissime exceptum. Sacratissima Caes. et Regio-Apostolica Sua Maiestas die 28. Sept. 1916. summam complacentiam agnitionemque dignata est Ordinario quoque Hajdudorogensi manisfestare. Tali modo motus ille a Commissione Regnicolari gr. cath. Hung. inceptus atque usus a. 1909. in Ecclesiae Budapestinensis sinu invalens felices utilesque nactus est successus.

Alter eventus anni 1916. commemorabilis erat donatio munificentissima b. m. Arcadii Alexandri Pásztory emer. Hegumeni O. S. B., qui cuncta bona sua beneficio episcopali nostro tradiderat per testamentum. Haec tamen res hereditaria ob servitus oneraque hereditatem aggravantia de praesenti subest ordinationi simulque stat sub lite ab Ordine

S. Basili M. commota. Lis iste iam in gradu secundo cum iudicio ius Episcopatus stabilienti est finita.

Eodem adhuc anno Capitulum Cathedrale ex tribus solummodo constans membris, duobus novis est auctum. Beatae memoriae Rex Apostolicus enim cum sua ddto die 5-a Septembris a. 1916. resolutione clementissime denominavit Iulium Ruttkay Archidiaconum Szabolcsensem in Canonicum Custodem, Nicephorum Geysam Melles Directorem Cancellariae Secretariumque Episcopalem in Canonicum Scholasticum.

Die 21. Novembris 1916. Sua Maiestas *Franciscus Iosephus* I. Monarcha post gloriosissimum per sex decennia regimen animam reddidit generosissimam Creatori. In sublimi eius persona Dioecesis haec Fundatorem aestimat benignissimum. Memoria illius insignissima manet in cordibus in saecula.

Successor eius Augustissimus *Carolus IV.* Rex die 23. Maii anni currentis dignatus est denominare primos duos Canonicos Dioecesis Honorarios, Antonium nempe Gönczy SS. Consist. Assessorem, V. A. Diaconum ac Parochum Szatmár-Németiensem et Andream Ujhelyi SS. Consist Assessorem, Parochum Hajdudorogensem. Anno insequenti cetera quoque quattuor stalla sunt adimpleta.

Post tot ac tantas exordii difficultates Deo adiuvante iam superatas viva cum fiducia prospicimus futura, sperantes immani bello hoc intermisso institutiones Dioecesis summopere exoptatas, ut seminarium clericorum, orphanotrophia etc., brevi posse perfici.

ABBREVIATIONES.

Litterae:	Eccl. mur.	—	Ecclesia murata.
„	Lign.	—	Lignea.
„	G. C.	—	Animae Graeco-Catholicae.
„	R. C.	—	„ Romano-Catholicae (latini ritus Catholicae.)
„	G. O.	—	„ Graecae Orientales.
„	A. C.	—	„ Augustanae Confessionis.
„	H. C	—	„ Helveticae Confessionis.
„	Jud.	—	„ Iudaeae.
„	O P.	—	„ olim Parochia.
Lib. Coll. Epp.		—	Liberae Collationis Episcopalis.
pag.		—	pagus et pagina.
par.		—	Parochia.
ant.		—	antiqua.
Eccl.		=	Ecclesia.
Ling.		—	Lingua.
Hung.		—	Hungarica.
Rumen.		=	Rumenica.
Ruth.		=	Ruthenica.
Matric.		—	Matriculae vel matriculas.
D.		—	Dominus.
R.		—	Reverendus.
A. R.		—	Admodum Reverendus.
A D.		—	Archidiaconus.
V. A. D.		=	Vice-Archidiaconus.
Presb. O.S.B.M.		=	Presbyter Ordinis Sancti Basilii Magni.
Tit.		=	Titularis.
Civ. I. C.		—	Civitas iuribus comitatensibus (törvényhatósági joggal) praedita.

Com. M.	= Communitas Maior.
Metrop.	= Metropolis.
A. Gymn. Stat.	= Archi-gymnasium status.
Acid.	= Acidulae, vel acidulas.
Baln.	= Balneum.
A.	= Agri.
Intern.	= Internitas.
Dom. par. mur.	= Domus parochialis est muralis.
Dom. par. lut.	= Domus parochialis est lutosa.
Par. l.r. Dioec..ensis	= Ibidem exstat Parochia latini ritus, cuius Dioecesis est..ensis.
Fil. l. r. adhaeret Pleb. ...ac Dioec..	= Ibidem exstat Ecclesia Filialis latini ritus, quae adhaeret Parochiae . . . . ac Dioecesi . . .
Suppl. congr. par. comp.	= Supplementum congruae parochialis competentiae.
St.	= Statio.
perc.	= percipit.
pend.	= penditur.
cas.	= cassa.
Trib.	= Tributarium.
fin.	= financialis.
off.	= officium.
	= posta in loco.
	= statio viae ferreae.
	= statio telegraphica.
	= Procuratio postalis habetur loco.
Tel.	= Statio telephonica.

NB. Praedia, allodia etc., utpote quae communitates politicas separatas non constituunt, inter Filiales non recensentur. Continentur enim in respectivis communitatibus politicis, quibus adhaerent.

II.

VENERABILE CAPITULUM
ECCLESIAE CATHEDRALIS HAJDUDOROGENSIS.

(*Sedes in oppido Nyiregyhdza.*)

A.

CANONICI ACTUALES:

ARCHIPRESBYTER SEU PRAEPOSITUS MAIOR:

Reverendissimus D. THEODORUS DAMJANOVICS, Vicarius Episcopalis. SS. Consistorialis Dioecesium Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. Praeses Examinatorii Professorum doctrinae religionis in scholis medii gradus applicandorum. Praeses Commissionis plana aedificationum dioecesanarum revidentis. Canonicus ab a. 1914., Praepositus Maior ex 1915.

ARCHIDIACONUS SEU LECTOR:

Reverendissimus D. EUGENIUS BÁNYAY, Supremus Inspector scholarum elem. dioec. SS. Consist. Dioec. Munkácsensis ac Hajdudorogensis Assessor. Praeses Officii Censurae Dioecesanae. Examinator Iurisdictionalis et Professorum doctr. relig. in schol. med. grad. appl. Revisor plana aedificationum dioec. Commissarius Eppalis in Centro penes gymnasia et institutum praeparandiae Doc. SS. Theologiae Baccalaureus. Prof. dipl. relig. Canonicus ab a. 1914.

PRIMICERIUS SEU CANTOR:

Reverendissimus D. IULIUS RUTTKAY, Archidiaconus Szabolcsensis, scholarum elem. Archidiaconatus sui Superior Inspector. SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. Parochus in Nyiregyháza. Administrator ad interim Fundorum Dioec. Praeses Consilii Discipl. pro Cant-Doc. Examinator Iurisdictionalis et Professorum doctr. relig. in schol. med. grad. appl. Censor Dioec. Advocatus pauperum. Membrum Commissionum Comitatus Szabolcs et Opp. Nyiregyháza. Canonicus ab a. 1916.

ECCLESIARCHA SEU CUSTOS:

Reverendissimus D. NICEPHORUS GEYSA MELLES, Canonicus a latere. Director Cancellariae Eppalis. SS. Consist. Assessor. Praeses Examinatorii Iurisdictionalis. Rector Sodalitatum Piarum Dioec. Examinator Professorum doctr. relig. in schol. med. grad. appl. Perceptor Fundorum Dioec. ad interim. Membrum Consilii Discipl. pro Cant-Doc. Censor Dioec. Defensor matrimonii et professionis religiosae. Prof. rel. dipl. Notarius Capitularis. Canonicus ab 1916.

SCHOLASTICUS: VACAT.

CARTOPHYLAX SEU CANCELLARIUS: VACAT.

B

CANONICI HONORARII:

a) PRISTINIOR, EX PARTE DIOECESIS MUNKÁCSENSIS:

Rssimus D. IOANNES BÁNYAY, SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. Emer. Vice-Archidiaconus Distr. Hegyaljaënsis. Parochus in Szerencs. Ins. Ord. Francisci Iosephi I. Crucis Offic. Commendator. Membrum Commissionis Comit. Zemplén. Cives Hon. Civitatis Szerencs. Sacerdos iubilaris in annum 8-um. Canon. Honor. ex a. 1906.

b) DIOECESANI, NOVITUS DENOMINATI:

1. Rssimus D. ANTONIUS GÖNCZY de Kék et Nagygéres, SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assesssor. Vice-Archidiaconus Distr. Szatmár-Németiensis. Distr. sui schol. el. Inspector. Parochus Ecclesiae II. in Szatmár-Németi. Membrum Consilii eiusdem Civitatis. Canon. Honor. ex a. 1917.

2. Rssimus D. ANDREAS UJHELYI, SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. Parochus in Hajdudorog. Membrum Commissionis Comit. Hajdu. Canon. Honor. ab a. 1917.

3. Rssimus D. ANDREAS ZAPOTOCZKY, SS. Consist. Dioec. Eperjesiensis et Hajdudorogensis Assessor. V. A. D. Emer. Crucibus Ord. Reg. Bulgarici pro meritis civilibus ac Ord. Reg. Bulg. Alexandri Decoratus. Membr. Comiss. Comit. Borsod. Parochus In Sajópetri. Canon. Honor. ex 1918.

4. Rssimus D. IGNATIUS SZABÓ, SS. Consist. Dioec. gr. r. M. Varadinensis et Hajdudorogensis Assessor. V. A. D. Distr. Nagylétaënsis. Parochus in Ecclesia I. Nagylétaënsi. Canon. Honor. ab 1918.

5. Rssimus D. IOANNES PAPP, SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. V. A. D. ad. hon. Membrum Consilii Discipl. pro Cant. Doc. Dioec. Revisor plana aedificationum dioec. Parochus in Hajdúböszörmény. Canon. Honor. ex 1918.

6. Rssimus D. ARTHURUS BOER, V. A. D. Distr. Háromszékensis, Parochus in Nagykászon. Canon. Honor ab 1918.

III.

ARCHIDIACONI:

1. Cathedralis: Rssimus D. IOANNES BOROS, SS. Consist. Dioec. gr. r. M.-Varadinensis et Hajdudorogensis Assessor. Schol. el. Archidiaconatus sui Superior Inspector. Parochus in Makó. Cruce Aurea cum corona pro meritis decoratus.

2. Szabolcsensis: Rssimus D. IULIUS RUTTKAY, Canonicus, pag. 56.

3. Szatmáriensis: Rssimus D. ROMULUS GEORGIUS MARCHIS, SS. Consist. Dioec. gr. r. M. Varadinensis et Hajdudorogensis Assessor. Schol. el. Archidiaconatus sui Superior Inspector. Parochus Ecclesiae I. Nagykárolyensis. Censor Dioec. Membrum Commiss. Comit. Szatmár.

4. Zemplénensis: Rssimus D. AUGUSTINUS DAMJANOVICS sen., SS. Consist. Dioec. Munkácsensis et Hajdudorogensis Assessor. Schol. el. Archidiaconatus sui Superior Inspector. Parochus in Sátoraljaujhely. Membrum Commiss. Comit. Zemplén.

5. Siculiensis: Rssimus D. IULIUS HUBÁN, Vicarius Eppalis Siculiensis. SS. Consist. Assessor. Superior Inspector Schol. el. Vicariatus. Membrum Commis. Comit. Maros-Torda.

IV.
ABBAS TITULARIS:

